442:	usque ad 18 *sunt in*	QV. LI, 6ᵘ (fol. 406ᵘ):	Men. 283 A—302
443:	usque ad 25 *terminos ihli*	QV. LXXXI, 8ʳ (fol. 648ʳ):	Rud. 482—498
444:	usque ad 29 *regnauit*	QV. LXXXI, 8ᵘ (fol. 648ᵘ):	Rud. 499—517
[47] 445ᵃ:	usque ad XV 6 *sunt*	QV. XLVIIII, 8ʳ (fol. 392ʳ):	Mil. 1255?—1269
446ᵃ:	usque ad 12 *generationem*	QV. XLVIIII, 8ᵘ (fol. 392ᵘ):	Mil. 1270—IIII 7 inscr.?
[48] 445ᵇ:	usque ad 18 *erat*	QV. XLVIII, 8ʳ (fol. 384ʳ):	Mil. 1016ᵇ—1026
446ᵇ:	usque ad 22 *pro eo*	QV. XLVIII, 8ᵘ (fol. 384ᵘ):	Mil. 1027—1039

quaternio

41) Hoc folium Geppert „425—426 A“ appellat.
42) Hoc folium Geppert „427—428 A“ appellat.
43) Hoc folium Geppert „427—428 B“ appellat.
44) Vltima huius folii pars auulsa periit.
45) Hoc folium a Geppertó „425—426 B“ appellatur; nunc conglutinatum est cum folio 429/430.
46) Quaternionis numerus et hic et in eis quae consecuntur quaternionibus aut deest aut non apparuit.
47) Hoc folium Geppert „445—446 A“ appellat.
48) Hoc folium Geppert „445—446 B“ appellat.

	paginae uolumina missa in secundum Mai numeros	continet libri Regum quarti	Plauti	
quaternio cum uno folio singulari				
	447:	usque ad 28 *quod malū (erat)*	QV. XLIII, 4r (fol. 340r):	Most. 923—939
	448:	*erat* usque ad 33 *coepisset*[49]	QV. XLIII, 4u (fol. 340u):	Most. 940—958
[50]	449:	*nomen matris* usque ad 38 *patris sui*	*SENECA* (*Medea* 694—725)	
	450:	usque ad XVI 2 *hierusalem*	*SENECA* (*Medea* 726—744)	
[51]	451:	usque ad 7 *nuntios*	*VLPHILAS* (*Nehem.* cap. V, 13—16)	
	452:	usque ad 10 *eius est si-*	*VLPHILAS* (*Nehem.* cap. V, 16—18)	
	453:	usque ad 15 *uespertinum et holocaustum*	QV. XLIII, 3r (fol. 339r):	Most. 891b—906
	454:	usque ad 19 *sermonum*	QV. XLIII, 3u (fol. 339u):	Most. 907—922
	455:	usque ad XVII 5 *annis*	QV. LIIII, 4r (fol. 428r):	Men. 1000?—1017
	456:	usque ad 11 *super aras*	QV. LIIII, 4u (fol. 428u):	Men. 1018—1035
	457:	usque ad 15 *contestatus est eos*	QV. LIIII, 5r (fol. 429r):	Men. 1036?—1052
	458:	usque ad 19 *fuerat*	QV. LIIII, 5u (fol. 429u):	Men. 1053?—1065
	459:	usque ad 24 *ihl*	QV. XLIII, 6r (fol. 342r):	Most. IIII 3 inscr.—1009
	460:	usque ad 28 *samaria*	QV. XLIII, 6u (fol. 342u):	Most. 1010—1026d
[51]	461:	usque ad 33 *samariam*	VLPHILAS (Neh. cap. VI, 14—18)	
	462:	usque ad 38 *alienos*	VLPHILAS (Neh. cap. VI, 18—VII, 3)	
	463:	usque ad XVIII 4 *aeneum quem fe-*	QV. XLIII, 5r (fol. 341r):	Most. 959—975
	464:	usque ad 8 *extremum*	QV. XLIII, 5u (fol. 341u):	Most. 976—992
quaternio				
[52]	465:	usque ad 14 *mihi feram*	QV. XXXIII, 4r (fol. 260r):	Epid. I 1, 50b?—64?
	466:	usque ad 18 *commentariis*	QV. XXXIII, 4u (fol. 260u):	Epid. I 1, 64?—75
[53]	467:	usque ad 23 *eorum*	QV. XXXVIII, 3r (fol. 299r):	Merc. 589b—601
	468:	usque ad 27 *uobiscum*	QV. XXXVIII, 3u (fol. 299u):	Merc. 602—619
[54]	469:	usque ad 32 *moriemini*	QV. XXXVII, 4r (fol. 292r):	Merc. 356?—372
	470:	usque ad u. 37 extremum	QV. XXXVII, 4u (fol. 292u):	Merc. 376—374a
[55]	471:	XVIIII 1 usque ad 8 *expugnatem* (sic)	*SENECA* (*Medea* u. 235—254)	
	472:	usque ad 15 *cherubin* (sic)	*SENECA* (*Medea* u. 255—274)	
[56]	473:	usque ad 22 *excelsum*	*SENECA* (*Medea* u. 196—214)	
	474:	usque ad 23 *libani*	*SENECA* (*Medea* u. 215—234)	
	475[57]:	*exprobrasti* usque ad 27 *contra me*	QV. XXXVII, 5r (fol. 293r):	Merc. 374b—406
	476:	usque ad 32 *nec mittet*	QV. XXXVII, 5u (fol. 293u):	Merc. 407—424
[58]	477:	usque ad XX 1 *mortem*	QV. XXXVIII, 6r (fol. 302r):	Merc. 681—696
	478:	usque ad 6 *urbem istam*	QV. XXXVIII, 6u (fol. 302u):	Merc. 697—713
[59]	479:	usque ad 11 *descenderat*	QV. XXXIII, 5r (fol. 261r):	Epid. I 1, 76—86
	480:	usque ad 13 *suis*	QV. XXXIII, 5u (fol. 261u):	Epid. I 1, 87?—I 2, 10

49) Manus anglosaxonica, quae folium 449/450 exarauit, addidit haec uerba: *et sedecim annis regnauit in hierusalem.*
50) Conf. quae supra ad folium 375/376 adnotauimus.
51) Conf. quae supra ad folium 209/210 adnotauimus.
52) Hoc folium Geppert „465—466 A" appellat.
53) Hoc folium Geppert „467—468 A" appellat, Loewe „467 A. 468 A".
54) Hoc folium Mai „469. 470" appellat, Geppert „469—470 A", Ritschl „469a. 470a", Loewe „469 A. 470 A".
55) Conf. quae supra ad folium 375/376 adnotauimus.
56) Hoc folium Geppert „469—470 B" appellat, Ritschl „469b. 470b.
57) In summa pagina manus anglosaxonica adscripsit *deest hic.*
58) Hoc folium Geppert „467—468 B", Ritschl „469c. 470c" appellat.
59) Hoc folium Geppert „465—466 B" appellat.

[illegible]	Plauti	
481: usque ad u. 18 medium	QV. LXXX, 3r (fol. 635r):	Rud. prol. 20—37
482: *et erunt* usque ad XXI 2 [illegible]	QV. LXXX, 3u (fol. 635u):	Rud. prol. 38?—56
483: usque ad u. 7 medium	QV. LXIII, 1r? (fol. 497r?):	Truc. V, 55 A?—72?
484: usque ad 13 *funiculum samariae*	QV. LXIII, 1u? (fol. 497u?):	Truc. V, 73? usque ad finem
485: usque ad u. 17 extremum	QV. ?	
486: usque ad ?	QV. ?	
487: usque ad XXII 3 *ei*	QV. XXXVIII, 2r (fol. 298r):	Merc. 556—572
488: usque ad u. 9 medium	QV. XXXVIII, 2u (fol. 298u):	Merc. 573—589a
489: usque ad 13 *nobis*	QV. XXXVIII, 7r (fol. 303r):	Merc. 714— ?
490: usque ad 19 *coram deo*	QV. XXXVIII, 7u (fol. 303u):	Merc. ? —752
491: usque ad XXIII 3	QV. ?	
492: circiter usque ad u. [illegible] extremum	QV. ?	
493: usque ad ?	QV. LXIII, 8r? (fol. 504r?):	Vidul.
494: usque ad ?	QV. LXIII, 8u? (fol. 504u?):	Vidul.
495: inde a uersu 15 medio *(et al[tare illud])* circiter usque ad u. 20 medium	QV. ?	
496: circiter usque ad u. 25 medium	QV. ?	

Praeterea unius folii laciniae supersunt nullo numero ab Angelo Mai insignitae, de quo folio, quoniam Poenuli fabulae Plautinae exitus in pagina recta et Persae argumentum in pagina auersa scripta sunt, accuratius exposui in adnotationibus folio 561 B subiectis*).

Constitisse olim codicem Plautinum, qui propter litterarum genus quarto uel adeo tertio saeculo p. Chr. scriptus uidetur Antonio Ceriani, ex fasciculis undenonaginta apparet ex numero LXXXVIII in fasciculi, quem paenultimum fuisse constat, extrema pagina adscripto. Toti perierunt fasciculi I—XIV, XVII—XX, XXII—XXIV, XXVI, XXXII, XXXVI, XXXVIIII—XLI, XLIIII, LIII, LVIIII, LXI, LXII, LXV, LXVI, LXXIIII, LXXXIIII, LXXXV, LXXXVII, integri permanserunt modo octo XXVII, XXXV, LVI, LXX, LXXIII, LXXV, LXXXVI, LXXXVII suo quisque numero in extremi folii pagina auersa insigniti, praeterquam quod pro XXXV falso scriptum est XXXIV; de reliquis plus minusue restat, atque ita, ut cum extremis foliis seruati sint fasciculorum numeri XVI, XXVIII, XXXI, XXXIIII, XXXVII, XXXVIII, XLIII, XLVI, XLVIII, XLVIIII, L, LI, LIIII, LV, LVIII, LX, LXXVIIII, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXVIII. Integri fasciculi ad unum omnes quaterniones sunt, atque de ceteris etiam fasciculis et eis,

[1] Hoc folium Geppert (1469—1470?) appellat.

[2] Quo tempore Mai codicem Ambrosianum inuenit, hoc folium tegumento codicis proxime praecessisse indicat adglutinata schedula chartacea.

*) Haec Studemund perscripta reliquit, qui cum initio in animo habuisset amplissimum conscribere prooemium, quo cum multa alia pertractaret tum eam quam inter Ambrosiani et Palatinorum recensiones intercedere sibi persuaserat rationem, ingrauescente morbo consilio mutato angustissimis finibus se continere constituerat. Itaque, si ipse apographum edere morte prohibitus esset, edendi munus me suscepturum esse pollicitus cum eo mortuo ad prooemium conficiendum aggressus essem, rem sic instituendam esse putaui, ut, de quibus rebus se in praefatione expositurum esse uel in apographi notis uel in schedulis quibusdam indicauerat, eas quam diligentissime persequerer, ultro pauca quaedam adderem, quae apographo identidem perlecto a prooemii ratione non abhorrere uiderentur. Cum autem ille, ut et admirabili quodam ingenio praeditus et uiginti fere quinque annos in Ambrosiani libri studio uersatus omnia uel minima mente tenebat, de eis, quae in praefatione tractaturus erat, paucissima eaque breuissime litteris mandata habuisset, ad singulas res quae pertinebant satis magno labore mihi conquirenda fuerunt. Quo facilius, siquid uel praetermisi uel minus recte explicaui, ueniam me impetraturum esse spero.

Oskar Seyffert.

quorum partes supersunt, et eis, qui inter integros uel mutilos toti perierunt, plerisque certa uel probabili eorum, quae in eis perscripta fuisse necesse est, computatione idem efficitur. Sed ut de ultimis duobus fasciculis, quibus Stichi exitus inde a uersu 520 continebatur, priorem constat ternionem, par foliorum uel summum binionem oportet fuisse alterum (conf. quae in folii 702ᵘ margine adnotata sunt), item mutilum fasciculum XXVIII, quo Casinae exitus inde a uersus IV 4, 2 altera parte continebatur, ternionem, deperditos fasciculos XLIIII et LXXIV, quorum ille Mostellariae extremos uersus 1074—1181, hic Persae uersus 741—857 item extremos complexus est, biniones fuisse ueri simillimum est (conf. quae adnotata sunt in foliorum 218ᵘ, 344ᵘ, 584ᵘ marginibus). Eiusdem generis fuisse uidetur fasciculus LXXXV. Eis enim quae inter folium septimum quaternionis LXXXIII et quaternionem LXXXVI interciderunt foliis secundum Palatinos Rudentis fabulae continebantur 6 septenarii (1039—1044) + scaenae IV 4 inscriptio + 146 septenarii (1045—1190) + scaenae IV 5 inscriptio + 14 senarii (1191—1204) + scaenae IV 6 inscriptio + 22 septenarii (1205—1226) + scaenae IV 7 inscriptio + 38 senarii + scaenae IV 8 inscriptio + 16 septenarii + scaenae V 1 inscriptio + 7 septenarii + scaenae V 2 inscriptio + 50 septenarii + 19 senarii + scaenae V 3 inscriptio + 67 septenarii = 304 septenarii + 71 senarii + 8 scaenarum inscriptiones, ad quem tamen numerum sine dubio aliquot uersus addendi sunt, siquidem et scaenarum inscriptionibus binos uersus tributos et septenariorum plus minusue propter longitudinem, ut assolet, bipertitum fuisse maxime est probabile. Quodsi minor septenariorum numerus bipertitus fuit, sufficiunt ad illam codicis lacunam explendam undecim folia (in singulis enim foliis insunt 2 × 19 uersus) = folium VIII quaternionis LXXXIII + quaternio LXXXIV + fasciculus LXXXV duorum foliorum, sin maior, e. gr. si inter denos septenarios singuli bipertiti fuerunt, foliis opus fuit duodecim, quorum ut duodecimi paginam auersam item, fasciculus LXXXV si fuit binio, huius extremum folium totum scriptura uacauisse oportet. Quamquam etiam hoc cogitari potest, fasciculo LXXXV duorum foliorum additum fuisse folium singulare, sicut inter quaterniones LXX et LXXI insertum fuit folium singulare, quo continebantur extremae Poenuli scaenae uersus 11—48 (conf. quae adnotata sunt in folii 561 Bʳ margine).

Compositi sunt integri quaterniones ita, ut primae membranae pars interior i. e. natura leuior efficiat primi folii paginam rectam, auersam extremi, exterior i. e. natura pilosa primi folii paginam auersam, rectam extremi, pari modo posita sit tertia membrana, contrario secunda et quarta, quo fit, ut quae eandem indolem habent paginae inter se contingant. Compositio igitur foliorum talis est:

1	2	3	4	5	6	7	8
int. ext.	ext. int.	int. ext.	ext. int.	int. ext.	ext. int.	int. ext.	ext. int.

Ad eandem normam et e mutilis quaternionibus ei, de quorum pristino ambitu satis constat, fuisse compositos facile intelleget, qui singulos deinceps examinauerit, neque discrepat ille Stichi ternio, qui praeter duo folia superstes est:

1	2	3	4	5	6
int. ext.	[ext. int.]	int. ext.	ext. int.	[int. ext.]	ext. int.

Itaque non temere conieceris illam normam per uniuersum codicem ualuisse[62]), neque sine grauissimis causis eam neglectam esse statueris. Nam quod Gustauus Loewe ex iis duobus foliis, quae ex Captiuorum fabula supersunt, alterum (162) primum, alterum (167) extremum quaternionis fuisse putauit (cf. praef. ad

62 Etiam huius normae auxilio probari potest, qui locus foliorum ad Cistellariam pertinentium pari ab Angelo Mai paginarum numeris 297/298 et 299/300 insignito tribuendus sit. Nam cum pagina 297 interior, 298 exterior, 299 exterior, 300 interior sit, si hic uerus foliorum ordo fuit, folia illa per se referri possunt uel ad primum et octauum uel ad tertium et sextum quaternionis locum, quarum rationum prior abicienda est propterea, quia in pagina 300 fasciculi numerus non apparet; sin autem paginae 299/300 praecesserunt paginis 297/8, effecerunt folia uel secundum et septimum uel quartum et quintum, quarum

(Capt. ed. Fridericus Schoell pag. X), id uel ea re refellitur, quod fol. 167 fasciculi numero caret: immo folia illa, cum prius sit ext./int., posterius int./ext., fuerint oportet uel secundum et septimum quaternionis uel ternionis secundum et quintum, ut in Ambrosiano libro aut multo plus aut paullo minus uersuum quam in Palatinis inter uersus 961 et 1006 intercessisse statuendum uideatur. — Neque uerisimile est folium singulare in apographo inter quaterniones XXXV et XXXVII insertum quaternionis XXXVI fuisse octauum, quoniam prior eius pagina est exterior, interior altera, sed multo est probabilius ut illud folium par, in cuius prima pagina per errorem Casinae prologi uersus 38—56 iterum scripti erant, ad quaternionem LXXXVI item hoc folium abluta pristina scriptura cum eo, quocum olim cohaerebat, ad alium quendam quaternionem suo loco esse adhibitum ita, ut inscriberetur fabulae didascalia uel argumentum. — Secundum eandem normam illud folium singulare, cui in apographo inter folia incertae sedis tertius locus tributus est, siquidem non ad Cistellariae uel Vidulariae deperditas partes pertinuit, ad Menaechmorum uersus 722 sqq. modo ita referri potest, ut quaternionis LIII aut secundum aut quartum fuisse statuamus, quorum neutrum uerum esse apparet; nam ad eam fabulae partem, quae intercedit inter uersus 594[a] et 722, — sunt praeter uersus 594 frustulum et duas scaenarum (IV 3 et V 1) inscriptiones secundum Palatinos 106 uersus longiores (595—700) atque 21 senarii (701—721) — neque tria Ambrosiani libri folia (Quat. LII, 7. 8; LIII, 1 = 6 × 19 uersus) sufficiunt et quinque foliorum spatium (Quat. LII, 7. 8; LIII, 1. 2. 3 = 10 × 19 uersus) nimium est. De tertii autem folii initio per se quidem ita cogitari potest, ut uersus 596—601 in Ambrosiano libro recte in 13 dimetros dispestos et ex eis qui restant 100 uersibus longioribus 15 bipertitos fuisse statuamus; sed et obstat illa ratio neque est cur credamus inter uersus 722 et 752 in Ambrosiano uersum excidisse: nam aliter fieri non potest, ut ad uersum 752 referamus illas litterulas IS uel ES, quae in uersu undeuicesimo alterius paginae folii apparuerunt. At omnia rectissime se habent, si illud folium ad Truculenti uersus II 8, 3 (633) sqq. referimus atque quaternionis LXI octauum fuisse statuimus; nam 14 × 19 uersus septem foliorum huius quaternionis antecedentium satis commode explentur eis, qui intercedunt inter II 4, 36 (390) et II 8, 3 (633), uersibus Plautinis, si quattuor scaenarum inscriptionibus II 5, II 6, II 7, II 8 binos uersus tributos atque ex uersibus longioribus fere 125 (II 5, 12—28; II 6, 1—69; II 7, 7—14. 21—26. 28. 30—31. 43—69) bipertitos fuisse fere 18 sumimus. Quod si uerum est, in priore illius folii pagina exarati fuerunt uersus II 8, 3—14 (633—644), scaenae III 1 inscriptio duorum uersuum, uersus III 1, 1—5 (645—649), in auersa uersus III 1, 6—20 (650—666) ita, ut huius paginae uersus undecimus, in cuius exitu apparuerunt IS uel ES litterae, fuerit fabulae uersus III 1, 12 (657), inter uersus autem III 1, 6 (650) et III 1, 8 (652) quattuor intercesserint uersus, de quibus in Palatinis modo primi tria uocabula restant. Atque ad eam fabulae partem, quae intercedit inter uersus III 1, 20 (666) et V 55 (947), capiendam quaternio LXII idoneus est; satis enim respondent 16 × 19 codicis uersus 280 fere illius partis uersibus, in quibus sunt 244 fere longiores, et sex scaenarum inscriptionibus (III 2; IV 1—4; V). — Sed ut sit illa coniectura speciosior quam uerior, hoc constat, ad ea, quae inter uersus II 4, 36 (390) et V 55 (947) in Ambrosiano interciderunt, capienda opus fuisse duobus quaternionibus, non minus, neque cogitari potest id foliorum par, cuius in paginis 483/484 exaratus fuit Truculenti exitus inde a uersu V 55 (947), in paginis autem 493/494 apparent incertissimae litterarum umbrae, ita pertinuisse ad quaternionem LXII, ut in eo tenerent paginae 493/494, quae sunt ext./int., locum secundum, paginae 483/484, quae sunt int./ext.[63]), septimum; accedit quod, quae in paginis 493/494 extant

rationum haec minus probabilis est, quod alterius folii contextus altero non uidetur continuari. Sed quaeritur etiam, ad utrum quaternionem, XXX an XXXI, pertinuerint. In hoc, cum de foliis secundo et sexto constet, modo ita poni possunt, ut teneant locum tertium et sextum; hinc uero eo excluduntur, quod neque paginae 297/298 cum eis, quae antecedunt, neque paginae 299/300 cum eis, quae subsequuntur, propter argumentum conecti possunt. Verissime igitur eas quaternioni XXX assignauit Studemund, qui si recte, ut uidetur, ex fabulae argumento conclusit paginas 297/298 praecessisse, non est dubium, quin huius quaternionis folia tertium et sextum effecerint.

63) Hanc horum foliorum indolem esse auctor est Antonius Ceriani; nam Studemund nescio quo casu hoc adscribere praetermisit.

reliquiae, eae ad nullum Truculenti locum reuocari possunt. Consentaneum igitur est in Plautino quoque codice ut in Vulgatae folium 483/484 praecessisse folio 493/494 et hoc ad Vidulariam pertinere, quae Truculentum olim excipiebat. Quodsi illi folio 483/484, ut aliter fieri non potest, primus quaternionis LXIII locus tribuitur, magna de folio 243/244, in cuius pagina auersa scriptus est Vidulariae prologus, existit difficultas. Siue enim id secundum quaternionis illius fuisse statuimus, pugnat hoc cum illa fasciculos componendi norma, ex qua potius esse debet tertium, cum pagina recta interior, auersa exterior sit, siue suum i. e. tertium locum tenuisse putamus, frustra quaeritur, quid tandem in folio secundo exaratum fuisse existimandum sit; nam in medio quaternione totum folium scriptura uacauisse nullo huius codicis exemplo probatur. Concedendum igitur uidetur librarium in hoc fasciculo componendo a sollemni ratione aberrauisse. — Foliorum denique par, quod praeterea ad Vidulariam pertinere paginarum titulis constat, quoniam et paginae prima quartaque exteriores, secunda atque tertia interiores sunt neque alterius folii contextum altero continuari manifestum est, secundum illam normam in suo quaternione eum ipsum locum tenuit, qui ei in apographo tributus est, ita ut prius folium secundum, posterius septimum fuerit quaternionis. Hunc autem fuisse LXIIII, non LXV ea re probabile fit, quod tres illae scaenae, quarum fragmenta in his foliis extant, ad mediam potius fabulam spectare uidentur quam ad extremam.

In eis quidem, quae superstites sunt, codicis partibus librarium id egisse apparet, ut fabularum recentium in recentis folii pagina recta initium fieret. Nam quod in eius folii, cuius in pagina recta extremi Poenuli uersus extant, pagina auersa scriptum est Persae argumentum, id ab alio quodam librario postea additum esse constat. Et quod Stichi didascalia scripta est in folio uerso, non ut Pseudoli in folio recto, id propterea scilicet librarius fecit, quia pagina recta ne abluta quidem pristina scriptura idonea uisa est, in qua didascalia atramento et minio depingeretur. Vt autem librarius illa de causa post Epidici et Poenuli exitus, qui in paginis rectis scripti sunt, paginas auersas uacuas relinquere maluit, item Trinummi extremos uersus in pagina recta quarti folii quaternionis LVIIII scriptos et paginam auersam uacuam relictam fuisse si sumimus, minime necesse est cum Ritschelio (praef. Trin. ed. 3 pag. XXVII sq.) statui fabulae partem inde a uersu 1079 in Ambrosiano libro plus habuisse uersuum quam in Palatinis; nam in his qui extat uersuum numerus, is prorsus sufficit ad sex illius libri paginas et septimae partem explendas [64]).

In summis paginarum marginibus extare solent tituli, quibus ad quam fabulam singula folia pertineant, ita indicatur, ut aduersarum paginarum aut in priore PLAUTI, in altera nomen fabulae scriptum sit, id quod fit in Bacchidibus, Captiuis, Casina, Cistellaria, Mercatore, Poenulo, Persa, Rudente, Sticho, aut fabulae nominis una pars in illa, altera in hac: EPI DICUS, MILES GLORIOSUS, MENAEC HMI, TRI NUMMUS, TRUCU LENTUS, UIDU LARIA, PSEU DOLUS. Atque in mediis fabulis quod de paginis, quarum quidem summus margo integer est [65]), paucissimae titulo carent (fol. 121^r et ^{u}, 128^u, 244^r, 392^u, 688^u, 689^r), casu id factum esse apparet. At a certa quadam ratione uidetur repetendum esse, quod titulus omissus est in eis paginis, in quibus exaratae sunt didascaliae (fol. 593^r et 681^u), itemque, si ipsius fabulae initium fit in recto folio (258 Epid., 355 Mil. glor., 562 Pers., 682 Stich.), et si extremi fabulae uersus scripti sunt in folio uerso (166 Capt., 397 Mil. glor., 497 Truc., 633 Pseud.), quamquam in eis, quae restant, codicis partibus bis ab hoc more discessum est, in exitu Casinae fol. 224^u, ubi in summo margine PLAUTI, et in principio Trinummi fol. 433^r, ubi in summo margine NUMMUS scriptum est, ut in absciso margine

64) Per quattuor posteriora huius quaternionis folia Truculenti initium sic fere discriptum fuisse censet Studemund:

fol. V^r	didascalia	V^u prol. 1—18
„ VI^r	prol. 19—21	VI^u I 1,1—17
„ VII^r	I 1, 18—36	VII^u I 1, 37—55
„ VIII^r	I 1, 56—74	VIII^u I 1, 75—77 + 2 uersus scaenae inscriptionis + I 2, 1—14.

Quae discriptio si uera est, ut in Casina et Trinummo paginae, qua prologi exitus continebatur, pars uacua fuit relicta.

65) Perierunt in mediis fabulis cum summis marginibus tituli foliorum 288. 292. 293^u. 298. 299^u. 303. 337. 368. 432. 504. 562^u. 567^r. 695.

antecedentis paginae, qua Menaechmorum exitus continetur, olim TRI scriptum fuisse uerisimillimum sit. Contra titulus extat et in principiis Casinae, Menaechmorum Pseudolique, quae in uersis foliis (196. 400. 593) scripta sunt, et in exitu Epidici, qui folio recto (280) continetur; nam de Poenuli exitu, cuius eadem condicio est (fol. 561 B^{r}), non constat, utrum titulum habuerit necne. Neque magis casu omissi uidentur tituli earum paginarum, in quibus insunt reliquiae prologorum Casinae (fol. 195. 196^{r}) et Menaechmorum (fol. 700^{r})[66], quippe quos non Plautinos esse tam manifestum sit, ut ne ueteres quidem existimatores fugere potuerit. At eae paginae, in quibus Trinummi prologus si minus totus at certe maiore ex parte Plautinus perscriptus est, habent titulos. Quibus ne Rudentis quidem prologum, cum non minus germanus uideatur, caruisse satis probabile est, quamquam folii 635, quo eius pars reliqua continetur, summus margo abscisus periit.

Ipsis fabulis Plautinis quod in singulis paginis tributum est spatium (fere 17 × 17,3 cm), id diuisum est in undeuicenos uersus, quos paribus interuallis inter se distare propterea monendum est, quia in apographo propter rationes typographicas interualla haud raro modo latiora modo angustiora institui oportuit. Litterarum genus et titulorum et ipsius contextus quale sit, cognosci potest ex hoc specimine, quod Pauli Krueger sollertiae debetur:

pag. 222 = fol. 359^{v} pag. 221 = fol. 359^{r} pag. 120 = fol. 593^{u} pag. 121 = fol. 594^{r}

MILES GLORIOSUS PSEU DOLUS

pag. 221 = fol. 359^{r}, u. 12. 15—19: Mil. glor. 185^{b}. 189—194

PROTECTOUTNEQUOQUAMDEINGENIODEGREDIARMULIEBRI
SIQUIDEMCENTIENSHICUISASITTAMENINFITIASEAT
OSHABETLINGUAMPERFIDIAMMALITIAMATQAUDACIAM
CONFIDENTIAMCONFIRMITATEMFRAUDULENTIAM
QUIARGUATSEEUMCONTRAUINCATIUREIURANDOSUO
DOMIDOLOSDOMIDELENIFICAFACTADOMIFALLACIAS

Neque immutatur litterarum character, ubi in longioribus uersibus prope a margine litterae minutiores fiunt, nisi quod S litterae forma interdum paulo liberior est. Discrepant a solitis formis in principiis uersuum paucis locis litterae T (Epid. 99. 230. 690. 691. Mil. 11) et K (Epid. 235. 247. 469. V 2, 67, conf. Addenda pag. 491; prorsus singularis est huius litterae forma in medio uersu Trin. 20), multo frequentius U, quae ubi in apographo maior est ceteris litteris, haec fere eius in ipso codice species est U (in primi paginae uersus initio: Cas. I 37. IV 1, 10. Merc. 269. Mil. 467. Poen. III 3, 41. 60. Rud. 780. Stich. 486; in aliorum uersuum initiis: Bacch. 487. 952. Cas. III 4, 1. V 4, 1. Cist. I 1, 82. 96. Most. 594. 696. Mil. 67. 157. 364. 376. 384. Men. 571. Poen. I 2, 101. 183. II, 27. V 2, 155. V 4, 32. 51. 94. Stich. 348. 393. 422. 480. 595). Praeter U litteram solito altiores formae inueniuntur modo litterarum T (Epid. 469), F (Cas. prol. 57. Poen. V 3, 21. V 4, 1), P (Cist. fragm. pag. 323, 1. Men. 446. Trin. 191. 417. 510. Poen. V 5, 6. Pseud. 354), Q (Rud. 518) et quidem in initio paginarum excepto uno loco Poen. V 4, 1, ubi F litterae altior forma in scaenae

66) At folium 400, in quo praeter prologi extremam partem perscriptum est ipsius fabulae initium, suum habet titulum sicut folium 593^{u}, in quo Pseudoli fabulae et prologi qui extant uersus extremi et primae scaenae initium insunt; itaque ne folium quidem 498^{u}, quo Vidulariae prologus et primae scaenae inscriptio primusque uersus continentur, titulo caruisse ueri non est dissimile.

initio posita est, neque altiorum harum litterarum character discrepat ab usitato praeter T litterae Epid. 469. A primi librarii more scribendi coaeua manus, quae in superiore margine folii 377r tres, folii 383r unum uersum exarauit, in folio 533r inter uersum primum et secundum uerba quaedam inseruit, denique in contextu aliquot locis menda correxit (conf. Pers. 362. Pseud. 77), eo inprimis differt, quod contra constantem primi librarii usum H scribit pro K et V litterae forma utitur, quae propius ad V quam ad U accedit. Addidimus denique specimina et eius scripturae, qua in Sticho emendanda tachygraphus quidam corrector usus est:

pag. 76 – fol. 696r

uocarem

et argumenti in Pseudolum, quod sicut argumenta in Persam atque Stichum saeculo fere quinto scriptum uidetur:

pag. 119 – fol. 595r

lenonemfallitsecophantaui aeula
scortocalydoruspotitur seudulo

Correcturae, quae in quibusdam codicis partibus apparuerunt, partim ab ipso primo librario factae sunt partim a correctore quodam illi uel aequali uel fere aequali, quorum tamen manus non semper certe possunt distingui; praeterea in Sticho uersata est tachygraphi illius correctoris opera. Atque supra litteras perperam additas puncta sunt posita[67]), litterae omissae supra eum, ubi exciderunt, locum additae[68]) itemque supra falsas uerae scriptae[69]), rarissime in ipso contextu aliquid mutatum est[70]). Uno loco Poen. V 6, 21 apparuerunt supra uersum signa, quibus uerus uerborum ordo indicabatur; alia corruptelae signa posita uidentur fuisse Mil. 67. Men. 366b. Trin. 365. Pseud. 146. Truc. II 1, 28. Vocabulum in contextu perperam scriptum ab ipso librario post exitum uersus aliquo interuallo interposito recte scriptum est Epid. 169, item, ut uidetur, in margine a correctore Truc. II 2, 17. Neque uero dubium est, quin etiam plura menda, quam nunc dispicere licuit, olim correcta fuerint, sed puncta, litterulae, signa euanuerint[71]). Sed si eas, de quibus constat, correcturas perlustraueris, tachygraphus ille corrector quae in Sticho posuit, longe plurima ita comparata intelleges, ut eum aut suum arbitrium secutum esse aut codicem adhibuisse cogitandum sit multo deteriorem

67) Conf. Merc. scaen. inscr. II 4 EUTĖVCKUS, Mil. 269 PERSECUTİUS, 540 TȮE, Men. 91 COĊTIDIE, 465 İADLOQUAR, Trin. 181 UŚSURAE, 183 PERUORSȦE, Truc. I 2, 77 FELLEŚ, I 2, 79 CUIṄ, II 4, 31 AḊUDIUI, Poen. I 3, 24 PERGINĊ, I 3, 30 BONAṀ, II 28 ĖUOLATICORUM, III 3, 23 QUIDE, Pers. 1 AEGENS, 168 SATIŚṪ, Pseud. 703 IMPERITASṠ, 873 UEROṠ, Rud. 549 TULNICULA, Stich. 203 COGṄAT, 276 PĖORTO, 346 UTU, 474 FACIESṪ, 517 SEDİ. Aliorum punctorum species fallax est (cf. quae adnotata sunt ad Trin. 541. Truc. I 2, 41. Addend. pag. 494), alia casui tribuenda uidentur, ut Poen. V 2, 98 ANTIDAMAS, Stich. 495 ṠUM (conf. praeterea de Trin. 50 Addend. pag. 493 et de Trin. 428 ib. pag. 494), fortasse etiam Mil. 791 EẊ.

68) Conf. Epid. 456 AUORTE, Mil. 69 ABIUNT, 477 SIRE, 570 TIISTUC, 596 ETIM, 601 CATELLA, 741 DEUERI, Trin. 11 UOCIUASURES, I 2 scaen. inscr. CALICLES, 176 OBSECRAUISSEPATER, 856 HAESUMPSI, 1050 FITPROPIO, Truc. II 2, 17 ANEAS, II 2, 18 HOQUOD, II 2, 20 DALIGNEAE, II 4, 3 AUPOSTULO, Poen. I 2, 87 GNATA, V 4, 73 APSCEDOPSECRO, V 5, 30 MALAM, suppl. 5 TETIGINUNC, Pers. 6 NONST, 624 PARIA, Pseud. 820 STIGIBUS, 1324 METERGI, totus uersus Stich. 226 inter uersus 230 et 227 insertus est.

69) Conf. Trin. 364 SISI, 522 ARGUMENTI, Truc. I 2, 81 PARCEPROMIS, Poen. V 4, 73 AGI, Stich. 168 GRAUIDOS, 351 COPIAM, 449 INUENIEM, Trin. 274 MAKI.

70) Conf. Pseud. 703. Stich. 624, fortasse etiam Stich. 203. Trin. 211. 541.

71) Ergo uix tibi persuadeas fol. 580r (Pers. 596) librarium littera QUOGENERBAUTQUAMP non ipsum [illegible] neque Trin. 521 aut Pseud. 436 transpositionis signum posuisse. Quamquam aliis locis constat [illegible], correcturam non esse factam; conf. quae de Trin. 566 in Addend. pag. 494 adnotata sunt.

et eo, unde descriptus est liber Ambrosianus, et Palatinorum archetypo, conf. 471 *illic* pro *illi*, 474 *libenter* pro *libente*, 477 *habea(m)* pro *habeo*, 478 *quaerita* pro *quaerito*, 510 *uocarem* pro *uocem* et *nisi* pro *ni*, 537 *istuc* pro *istoc*, 612 *proximo* pro *proxumo*; recte se habent modo haec: 533 *laba* (i. e. *laua*) pro *iaba*, 643 *hercle* pro *ercle*. 583 *o* et 623 personae nota H addita. Quamquam in hac ipsa fabula etiam a primo librario uel aequali correctore quaedam perperam mutata sunt; nam 215 pro uerissima scriptura *prae maerore adeo* supponi uoluit falsissimam *prae maerore maceo*, quam tamen ipsum excogitauisse uix est credibile, 232 falso suppleuit *iam (tem)pus est* pro *iam (o)pus est*, ut paulo ante (post u. 208), ubi idem uersus per errorem exaratus est, recte est scriptum, 624 ex *dixis* non restituit *dixi*, sed *dixti*. Incertum est, eidemne an tachygrapho illi haec sint tribuenda: 497 *perii* correctum ex *periei*, 593 *tu* expunctum, non correctum (*tum*), item 633 *ut perierint* non correctum (*ut periere*), sed *ut* expunctum. Atque etiam Truc. I 2, 79 Ambrosiani scripturam foedissime corruptam AMANTISICUIṄQUODDABONONEST cum Palatinorum memoria integriore *Amantis siquit non danunt* contendenti uix potest esse dubium, quin in N littera expungenda librarius suo ingenio obsecutus sit. Falso porro mutatum est Mil. 570 *istuc* in *istut*, praeter necessitatem Trin. 181 *ussurae* in *usurae*, Pseud. 703 *turanne* in *tyranne*. Poen. II 28 quod librarius *euolaticorum* uocabuli prima littera expuncta mendum sustulit antiquitus propagatum, ut Ambrosiani et Palatinorum docet consensus, coniectura hoc fortasse assecutus est; at nisi codice adhibito emendari non potuerunt ita, ut emendati uel sunt uel esse uidentur, hi loci: Pers. 6 NONSTUESTIUNT [E], 632 TAMENESIAURUSNONEST [T/ I D EV T(V(M)] (i. e. tamenetsi id futurum non est), Pseud. 77 (SICC)OCULOI [VM]. Neque quae Mil. 552 ex AQUAAEQ· lectione optima corrigendo effecta est lectio minime absurda AQUAAĖQ·[UAE (uel I)], ex aliquo codice petita esse non potest, praesertim cum ex Palatinorum memoria apparere uideatur in horum archetypo utramque fuisse coniunctam, idemque statuendum est de uerbis DVLCICVLVSCASEVS, quibus inter Poenuli uersus I 2, 176 et 178 insertis corrector indicare uoluit hoc loco uersum intercidisse, qui in Palatinis seruatus est. Denique ab eodem, qui in folii 377ʳ margine superiore addidit Militis uersus 789—791 in contextu omissos, in folii 383ʳ ad eandem fabulam pertinentis item superiore margine scriptus est hic uersus: (ER)AMEACVIVS PROPTERAMOREMCORNVNCMISER ...., quem si ille inseri uoluit, ut uidetur, inter uersus 996 et 997, statuendum est eum aut miro quodam casu a librario in contextu Ambrosiani libri eodem ipso loco omissum esse, unde in Palatinorum archetypo intercidit, aut alienum fuisse a recensionibus et Ambrosiani et Palatinorum atque adscitum esse ex aliquo codice tertiae illius recensionis, cuius quaedam uestigia in Nonii Marcelli libro nuper inuestigauerunt Carolus Reblin (De Nonii Marcelli locis Plautinis, Gryphiswaldiae 1886) et Hermannus Caesar (De Plauti memoria apud Nonium seruata, Dissert. philolog. Argentoratenses selectae, uol. XI pag. 173—331).

Scaenarum inscriptionibus longe plurimis bini sunt tributi uersus, quorum in priore personarum nomina perscripta esse solent[72]), posterior atramento caret. Item eis locis, ubi inscriptio uel scaenae uel prologi (Trin., Vid.) uno continetur uersu[73]), hic semper caret atramento. Atque tribus huius generis locis Epid. IV 1, Men. I 2, Rud. III 5 personarum nomina ab ipso primo librario inter eum, qui atramento caret,

72) Bis, Poen. V 3 et V 5, earum personarum nomina, quae in proxima scaena perscripta erant, non ipsa repetita sunt, sed positum est IDEM

73) Quod in Bacchidum et Captiuorum reliquiis quae extant ternae inscriptiones singulos habent uersus, etiam per eas partes, quae exciderunt, hanc rationem ualuisse inde minime est colligendum. Nam quam in hac re librarius sibi constiterit, praeter ceteras docet Epidicus fabula, cuius de octo scaenarum inscriptionibus superstitibus quattuor sunt binorum uersuum (I 1, II 1, II 2, IV 2), quattuor (III 4, 38, IV 1, V 1, V 2) singulorum, sed ita, ut librarius IV 1 personarum nomina omissa ipse inter uersus inseruerit. Neque in Menaechmis fabula prorsus sibi constitisse uidetur; nam quamquam scaenarum inscriptiones I 4. II 1—3. III 2—3. IV 1—2. V 8—9 singulis uersibus continentur, tamen et I 2 ipse librarius personarum nomina postea item atque in Epidico inter extremum antecedentis scaenae uersum atque uersum uacuum relictum inseruit, et inscriptiones I 1 et I 2 duos habuisse uersus probabile est.

uersum et antecedentem Plautinum inserta sunt: apparet igitur illum consulto eis, qui atramentro uacant, uersibus ad illa nomina inscribenda noluisse abuti, cuius rei causam inde repetendam esse manifestum est. quod illi uersus rubricatori reseruata erant, quibus personarum genera (senex, adulescens, seruus etc.) sollemni more rubro exararet, sicut in codice Bembino factum est. Atque aliquot locis factum est, ut librarius ea, quae in altero uersu erant exaranda, in priore uersu poneret aut omnia (Mil. III 1 SERUUS SENEX ADULESCENS, Rud. II 7 SERUUS SENEX PARASITUS) aut partim (Poen. V 2 POENUS pro HANNO, Rud. III 5 LENO pro LABRAX, conf. praeterea Stich. I 2 MULIERES, V 4 TIBICINES). Coloris autem quamquam nullum restat uestigium, tamen uix est dubium, quin illi uersus, qui nunc scriptura uacant, olim reuera rubris litteris inscripti fuerint, quas, cum ablueretur antiqua scriptura, item euanuisse putandum est, atque euanuerunt didascaliarum uersus olim minio scripti[74]). Eodem modo, si rubrica exarata fuerunt, non solum signa illa C et DV, quae cur in hoc codice antiquissimo omissa fuisse putandum sit, nulla causa est perspicua, uidentur periisse, sed etiam personarum notae Graecis nimirum litteris scriptae et in scaenarum inscriptionibus ante personarum nomina et in ipso contextu. Nam hic modo intra uersus eis, quae iam restant, spatiis personarum mutationes indicatas fuisse, non item in uersuum principiis ut per se uix est credibile, ita illas notas non defuisse testimoniis satis certis probatur. Quorum grauissimum hoc est, quod tachygraphus ille corrector, qui Sticho fabulae emendandae operam dedit, in initio uersus 623, ubi personae mutatio fit, atramento adscripsit Graecam litteram ·H·, uidelicet ut notam a primo librario omissam adderet[75]). Praeterea in Militis uersu 790, quem cum uersibus 789 et 791 altera manus in superiore margine suppleuit, quod inter uerba SEDQUIDEAVSVSEST et VTADTEEAM sqq. pro personae spatio scripta extat A littera, uix est dubium, quin corrector personae notam ipse atramento latine scripserit, quam rubricator minio graece scribere debuit[76]). Ceterum talis notae minio scriptae umbrae apparere uisae sunt Merc. 481 (conf. quae de hoc uersu in Addendis pag. 492 adscripta sunt); certa uero minii uestigia permanserunt in quaternionis LXXI folio 1 B^{r}.

Longiores uersus Plautini ut, si fieri posset, uno codicis uersu continerentur, librarius modo ita rem instituit, ut prope a margine litteris minoribus uel sensim pedetemptimque imminutis uteretur[77]), modo notas adhibuit et contignationes. Atque notarum longe frequentissimum genus est Q·[78]) pro —*quĕ* syllaba, quae satis raro plene scribitur (conf. e. gr. Stich. 103 NOSQ·TEQUE), idque in quauis uersuum sede usurpatur et in quouis uocabulorum genere (*atq.*, *neq.*, *itaq.*, *namq.*, *quoq.*, *undiq.*, *deniq.*, —*cumq.*, *undiq.*, *usq.*, *uterq.* etc., *quisq.* etc., *pleriq.* etc., *quinq.*, semel uel STULTILOQ·, ut uidetur, Pers. 514); aliquotiens positum est etiam pro —*quē* (AEQ· Cas. IV 4, 21. Epid. 648. Mil. 552, ADAEQ· Cas. III 5, 45) et pro *quae* (Pers. 511. Pseud. 817), quattuorque locis inuenitur in *queo* uerbi formis (Trin. 92 Q·O, Pers. 194 Q·ANTUR, Pseud. 570 NEQ·AD — Q·AT). Contra B· notam pro —*bus* librarius et satis raro admisit et plerumque in exitu uersuum (Most. 857 PEDIB·?, Mil. 1420 TESTIB·, 1424 FUSTIB·, Trin. 12 AEDIB·, 35 PLURIB·, 337 UIRTUTIB·, Truc. I 2, 15 FURIB·, Pers. 594 QUIB·PARENTIB·, Pseud. 179 QUIB·, 343 OMNIB·, 580 HOSTIB·, Rud. 738 PARENTIB·, Stich. 61 AEDIB·, 105 MORIB·, 131 APSENTIB·), rarissime aliis locis (in primo uersu QUIB· Pseud. 179, OMNIB· Stich. 684, in interiore MANIB· Pseud. 266). Item ⌐ nota, cuius usus frequentissimus est — ponitur autem supra litteram, ad quam pertinet, uel ipsam uel iuxta —,

74) Conf. de hac re quae Studemund exposuit in Commentationibus in honorem Theodori Mommseni pag. 23.

75) In uersu 583ª idem quam litteram ante SPESMEA uerba addidit, ea utrum O interiectio, sit an Θ (personae nota), non satis certum est; hoc si uerum est, errauit, ut in aliis quoque rebus eum errauisse constat.

76) Fortasse idem a primo librario factum est in eiusdem fabulae uersu 173, ubi item spatii loco ad personae notam capiendam relicti inter uocabula PALAMEST et DETEGULIS A littera exarata extat. Quod si uerum est, aut hic aut illic falsam notam positam esse statuendum est, id quod facile fieri potuit.

77) Aliquotiens O litterae forma minutissima inter maiores litteras posita est, conf. Merc. 256. Mil. 561. Trin. 1051. 1059. Poen. V 4, 55. Pseud. 671. 698. Stich. 591.

78) Punctum ad superiorem litterae partem adpositum esse solet, rarissime ad inferiorem adscriptum est, ut Epid. 10. In exitu uersuum quae aliquot locis apparuerunt puncta, ad summam litteram extremam adscripta sunt Men. 111. 119. 125. Stich. 513, ubi puncti forma prorsus singularis est, ad mediam Cas. IV 2, 5.

modo inuenitur in ipso uersus exitu uel, id quod multo rarius est, paulo ante (Pseud. 289 LENONIĒST [conf. Rud. 583], Epid. 95 CORRUPTŪSTCAPUT, Pseud. 86 REDDĀTUBI, 681 HOMINĒATTĒ, Capt. 915 GLĀDIA, Trin. 264 IGNORĀTUM, 308 NŌSUM, Truc. I 2, 86 ĪTUS, II 1, 27 TĀTĒ, Rud. 226 CŌUENIO), atque ubi pro M littera posita est, tantum in extremis, ubi pro N[79]), etiam in mediis uocabulis (conf. praeter ea, quae modo attulimus exempla Capt. 915. Trin. 264. Truc. I 2, 86. II 1, 27. Rud. 226, CŌ CLAUE Cas. V 2, 7, Ū DE Merc. 487. ESCĒ DERIS Mil. 1150. CŌ TROUERSIAM Men. 592. CĒ TUM Trin. 388. NŌ DUM Pers. 174. QUĀ DO 498. CŌ DITUM Pseud. 575. LUBĒ TISSIMO 1316. PARĒ TEM Stich. 96, CONUĒ TAS 127. ARGĒ TI 587[80]), ut Pseud. 1283 CŌ PROBATUM interpretandum sit *con*—, non *comprobatum*. — Contignationibus autem librarius usus est his:

NT plerumque in uocabulorum, qui extremum uersus locum tenent, exitu (conf. Bacch. 928. Cas. III 6, 2. IV 1, 13. IV 3, 6. 8. Cist. fragm. pag. 198 3. 14. 311. 12. Merc. 407. 541. Most. 668. 681. Mil. 66. 479. 715. 726. 731. 1273. 1317. Men. 457. Trin. 1076. Truc. II 2, 40(?). Poen. I 2, 107. IV 2, 41. 95. V 2, 20. Pers. 25. 437. 495. 513. Pseud. 203. 953. Rud. 857), rarius in mediis uocabulis: SENTIS Cas. III 6, 1. INTUOR Most. 836. INNOCENTĒ Mil. 364, bis in eodem uocabulo RENUNTIANT Pseud. 433;

UM plerumque in exitu uocabulorum, quae uel in ipso uersus fine uel paullo ante locum habent (conf. Bacch. 494. 926. 932. Cas. V 4, 3[b]. Cist. I 1, 105. fragm. pag. 297, 4. 311, 16. II 1, 18. 29. Epid. 569. 580. Most. 849. 949. 992. Mil. 208. 1038. 1138. Truc. II 1, 21. II 2, 11. Poen. IV 2, 92. 95. 104. V 4, 35. V 5, 52. Pers. 360. 399. 553. Pseud. 309. 687. 729. Rud. 743. Stich. 58. 68. 81. 283. 427. 449, semel Cist. II 1, 33 in medio uersu), rarissime in mediis uocabulis (conf. SUMUS Cas. V 2, 3, MAXUME Epid. 233, SUMUS Mil. 257, PROXUMŪ Pseud. 960, POSSUMUS Stich. 72, DOMŪ 128, AUSCULTAUIMUS 146, semel ita, ut duo uocabula conectantur HAUMALE Pers. 593;

LA praeter unum Cistellariae locum fragm. pag. 291, 11, ubi in primo uersu stare uidetur, in fine uersuum uel sub finem in quauis uocabulorum syllaba (conf. Bacch. 672. 947. Cist. fragm. pag. 297, 8, 312, 16. Epid. 103. Mil. 1307. Men. 465. 518. Poen. I 2, 97. V 4, 44. Pers. 423. 616. Pseud. 377. 602, ubi A litterae forma maxime singularis est, Stich. 108, cum ⌐ nota coniuncta est Mil. 178. 1170. Pseud. 1318);

UR in ultimi uel paenultimi uocabuli exitu (conf. Bacch. 955. Cist. fragm. pag. 322, 12. Merc. 527. Mil. 362. Men. 223. Trin. 245; Merc. 484. Mil. 185[b]. Pseud. 1139. Truc. II 1, 5. Pseud. 1139), bis in medio uocabulo FURCIFER Mil. 545, MURMURANT 744;

UN bis in extremis uersus uocabulis Men. 477. Stich. 305;

OM semel Most. 954 in extremo uersus uocabulo; item

MU ter Mil. 744 (uide UR). Poen. V 4, 9. Pseud. 693; item

UNT Capt. 906. Men. 221. Poen. IV 2, 95. Pers. 581. Pseud. 381. 823. Rud. 219, atque

UMU Cist. I 2, 2.

Si propter longitudinem uersus Plautini uno codicis uersu non capiuntur, id quod ut in senariis rarissime fieri consentaneum est (conf. Epid. 496. Mil. 60. Men. 220. Stich. 237. 243), ita plerumque fit in

79) Men. 231 librarius pro SUGGERĀT falso scripsisse uidetur SUGGERĀ.

80) Adde [illegible] exempla TAMĒ Cist. II 1, 18. Poen. IV 2, 56. Pseud. 102. Rud. 1006, NOMĒ | Pers. 623, NŌ Epid. 574 et fortasse Trin. 649; Epid. 607, ubi scriptum legitur NPETIT, uix est dubium quin librarius NŌ scribere uoluerit. Ceterum illa nota haud raro uel a librario omissa est uel euanuit: conf. Most. 908. Mil. 807. 996. Men. 123. 1049. Poen. III 2, 14. IV 2, 105. Pers. 6. Pseud. 219. 979. 980. Rud. 224. 225. 583. Stich. 86. 104. 267. 525. 534.

octonariis anapaesticis trochaicisque, haud raro in septenariis trochaicis et iambicis atque in octonariis iambicis, reliqua pars in subsequente uersu fere inde a medio scribitur[81]). Atque in uocabulis dirimendis librarius hanc tenuit normam, ut consonantem singularem (etiam H) coniungeret cum altera uocis parte (conf. e. gr. *e//dissertem* Cist. fragm. pag. 322, 8. Stich. 302. *ma//gis* Cas. II 2, 11. *amo//rem* Trin. 265. *prae//hibeo* Pseud. 182. *fabri//cam* Epid. 690. *instru//xi* Mil. 1147. *dissimulabi//liter* Mil. 278), duarum uel uocalium uel consonantium alteram priori, alteram posteriori tribueret parti (conf. *rapi//(at)* Men. 193. *improbi//orem* Trin. 312. *Paegni//um* Pers. 271. *muli//erculam* Pseud. 675. *principi//o* 970. *(habe)//o* 1188. *ebri//us* 1295; *ad//uenit* Capt. 911. *im//mo* Mil. 68. Pers. 613. *sol//ui* Epid. 724. *ser//uum* Stich. 371. *sus//citet* Mil. 689. *res//(ciscere)* Merc. 385. *is//tinc* Pseud. 1196. *ius//seris* Stich. 624), praeterquam quod *dr* et *tr* nusquam disiunxit: *Scele//dre* Mil. 399. *pa//tronos* Men. 578. *nos//tram* Trin. 382. Pers. 610. *nos//tra* Stich. 695[82]). Neque umquam, ubi uersus dispesti sunt, in alterius principio ST scribit pro EST (conf. Pers. 641. Pseud. 233. Stich. 544?). De orthographia quae praeterea dicenda erant, quoniam in indice orthographico composita sunt, hic quidem hoc unum addere liceat, alias fabulas aliis diligentius atque constantius ita correctas esse apparere, ut normae orthographicae atque orthoepicae ratio haberetur.

Septenariorum atque octonariorum initium fit a primo uersu, at et senariorum principia plus minusue inde remota esse solent, et canticorum cola, quo minutiora sunt, eo longius in interiorem uersum a margine recedunt[83]). Sed non semper librarius in hoc genere sibi constitit; nam praeterquam quod aliquotiens eum a sollemni more propterea deflexisse manifestum est, ne senarios longiores dispescere cogeretur (conf. Cas. IV 4, 21. 23—27. Epid. III 4, 44. 47—48. 67. Most. 763—764. 766. 769. 774—775), plus semel non modo totas senariorum scaenas ita instituit, ut a primo uersu ordiretur (conf. Trin. II 3. Pseud. IV 5), uerum etiam in earundem scaenarum partibus modo hanc modo illam rationem secutus est (conf. Men. II 1, 1—4. 5—47. II 2, 1. 2—10. 11—24. 25—26. 27—28. III 3, 1—16. 17—31. 32—34). Itaque in folio 245[u] qui praeter paucissimas reliquias euanuerunt Cistellariae uersus quod non eodem a margine distant interuallo atque senarii prioris paginae, minime inde colligi licet metri factam esse mutationem.

Restat ut exponatur, signorum in codicis scriptura exprimenda adhibitorum quae ratio sit:

earum litterarum, quibus nullum signum additum est, lectionem eatenus certam esse scito, quatenus de certa lectione cogitari posse, ubi de libris palimpsestis agitur, inter eos constat, qui in eius modi libris describendis operam collocauerunt;

litterae umbra si parum certa est, quam ut ueritas lectionis praestari possit, punctum infra lineam additum est;

litterae lectio si propter atramenti pallidum colorem incertissima est, interrogationis signum supra lineam appositum est;

interrogationis signum supra lineam et punctum infra lineam addita indicant, litterarum uestigia ita euanuisse, ut, quod positum est, coniecturae potius tribuendum sit, cui nihil sit quod repugnet, quam certae lectioni;

si pro ea, quae in ipso uerborum contextu posita est, littera de alia quoque littera cogitari

81) Semel in Sticho contra morem suum librarius extrema uersus 687 uerba cum subsequentis uersus 688 uerbis coniunxisse uidetur, qua de re expositum est in Addendis pag. 498.

82) Itaque uix est dubium, quin scriptum fuerit Most. 857 *pedib.//(absce)dam*, 1052 *(t)u(r//bidast)*, Mil. 1001 *(attrec)//tat*, 1017 *(don)ũ//(mittunt)*, 1423 *(n)ō//(feres)*, Men 451 *(co)mē//(tusfui)*, 1064 *(form)am//(noscito)*, non *pedib//(us absce)dam*, *(t)u//(rbidast)*, *(attre//c)tat*, *don)u//(m mittunt)*, *(n)o//(n feres)*, *(co)me//(ntus fui)*, *(form)//(am noscito)*. Capt. 916 autem siquidem in codice scriptum extat *modulae ,serant* pro *modulabs erant*), quomodo illa lectio interpretanda esset, non perspexisse librarium statuendum est, itemque Pseud. 184, ubi scripsit SI MIKICSICCUS, erroris causa manifesta est. Truc. II 1, 28 quod scripsit AMAT TOR SUAE, errorem ipse uidetur correxisse.

83) De hoc κωλομετρίας in libro Ambrosiano usu conf. quae Studemund disputauit in libro qui inscribitur „Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Würzburg an die XXVI. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner“ (1868) pag. 47 sqq.

potest, minore haec forma supra litteram addita est, atque ita, ut, si saepta sit his uncinis ( ), minus probabilis sit, sin autem his [ ], multo minus habeat probabilitatis;

litteram Vulgatae scriptura obductam esse totam lineola _ infra litteram addita indicatur, puncto uel supra uel infra uel iuxta illam lineolam posito ea litterae pars significatur, quae Vulgatae scriptura non est obducta; plures litteras continuas sacra scriptura esse obductas ita, ut de eis plus minusue constet, geminae lineae ═══ infra positae indicant[84]);

litteram fenestra periisse totam indicio est circulus ∘ infra lineam positus; punctis uel supra uel infra uel iuxta hoc signum collocatis ea litterae pars, quae superstes ac salua est, significatur;

litteram simul sacra scriptura obductam et perforatam esse ita, ut accurate utrumque genus discerni non possit, hoc signo ///// infra lineam addito significatur, cui puncta si apposita sunt, eam litterae partem indicant, quae salua est;

fenestrarum spatium hac linea ———— significatur; ┈┈┈┈ fenestram significat, cuius superiori, ┈┈┈┈ cuius inferiori, ┈┈┈┈ cuius et superiori et inferiori margini paruae laciniae adhaerent;

ubi propter obductam Vulgatae scripturam paruularumque fenestrarum frequentiam nihil omnino dispici posse indicandum erat, hae lineolae ///////// usurpatae sunt;

ubi spatii dimensione in ipso codice accuratissime facta pro explorato haberi potuit spatium ad certas quasdam litteras capiendas esse idoneum, hae litterae supra ea, quae modo commemorauimus, lacunarum signa minore forma insignes additae sunt;

spatium denique ad personae notam interserendam rubricatori a primo librario relictum hoc signo ⧺ expressum est, ubi quidem spatium atramento uacare adseuerari potest.

Gratiae ad extremum agendae sunt Guilelmo Wattenbach et Carolo Zangemeister, quod liberalissime concesserunt, ut eam, quae inest in tabula sexta libri qui inscribitur „Exempla codicum latinorum litteris maiusculis scriptorum“, imaginem paginae 221 (= fol. 359r) codicis Ambrosiani effingere liceret, ex qua pagina ipsum illud in pag. XXVI specimen scripturae Plautinae depromptum est.

84) Hoc quamquam Studemund non ipse me edocuit, tamen ex eius schedis certe colligere mihi uideor (conf. quae adscripsit ad Mil. 262). Inuenitur autem hoc signum minus frequens his locis: Cas. III 3, 19. Merc. 554. 762. Mil. 70. 150. 262. 263. 359. 381. Trin. 859. 1046. Poen. II 23. IV 2, 101. V 4, 51. V 5 scaen. inscr. Pers. 20. 173. Pseud. 95. 100. 331. 981. 1010. 1069. 1313. At signum ▭, quod in una Trinummo quater est usurpatum 211. 229. 280. 369, quid sibi uelit, prorsus ignoro.

APOGRAPHVM

CODICIS RESCRIPTI AMBROSIANI

G 82 ORDINIS SVPERIORIS

QVO OLIM PLAVTI FABVLAE XXI CONTINEBANTVR.

Catull. 14.1

Ni te plus oculis meis amarem!

—**is** in acc. plur. tertiae decl. frequentissime inuenitur; sed haud raro non satis discerni potest, utrum —**is** an —**es** scriptum sit, atque ei loci, ubi etiam de altera forma cum aliqua probabilitatis specie cogitari potest, uncinis inclusi sunt: **aedis** Cas. (III 3, 11). III 4, 3. 6. III 5, 31. Cist. fragm. pag. (309, 8). 309, 16. Epid. 568. 570. Mil. (495). 681. Most. (659. 664. 670. 843). 935. 939. (944). 968. 1025d bis. (1066). Pers. 571. Pseud. 181. (469). Rud. 583. Stich. 354. Trin. 194. 421. 422. 863. Truc. II 1, 40. II 2, 1. II 2, 3. II 2, 26, **aedeis** Merc. 786 — **aedes** Mil. 1166. Most. (674. 848). 960. (977). Pers. 739. Poen. (I 3, 3). IV 2, 98. Trin. 179. | **aediles** Men. 590. | **angues** Merc. (761). **artis** Stich. 178. Trin. (844), **arteis** (?) Trin. 236. | **auris** Mil. 358. (779b). Poen. I 2, 163. Pseud. 156 Stich. (88), **aureis** Pers. 182 — **aures** Cas. (III 5, 16. 17). Poen. (I, 3 25. suppl. 4). Trin. 11. | **bouis** Pers. 322 — **boues** Pers. (259. 262). | **canalis** Poen V 2, 54. | **canes** Stich. 139. | **ceruices** Mil. (722) | **ciuis** Rud. (742). | **clientes** Men. 573. | **compedis** Pers. 573, **compeceis** Cist. fragm. pag. 297, 13 — **compedes** Men. 80. Pers. (269). Pseud. (1176). | **congerrones** Most. (931) | **dentes** Poen. (382). | **estrices** Cas. IV 1, 20 | **fides** Epid. (473). | **foris** Most. 900. Pseud. (1134b). Truc. (II 2, 34) — **fores** Cist. I 1, 93. Men. (177). Most. (674. 1046). Stich. (308). 326. 327. Truc. II 1, 42. | **fustis** Poen. V 5, 41. | **gregis** Pseud (333). | **grates** Stich. 403. | **hostis** Pseud. 655. | **hirundines** Rud. (772). | **hominis** Stich. 446. | **leiteis** Merc. 281 — **lites** Poen. (III 2, 10). | **mares** Most. (1047). | **mensis** Most. (954) — Pseud. 323. Stich. 159. Trin. 543. | **merces** Cas. III 6, 22. | **montes** Merc. (618). Stich. (25). | **mores** Capt. 1029. Cas. (V 4, 1). Mil. 40 (191). Stich. 193. | **mures** Poen. V 2, 51. | **noctes** Cist. fragm. pag. 299, 10. Stich. (5). Trin. 287. Truc. (II 2, 24). II 2, 52. | **nuces** (Poen. I 2, 113). V 2, 54. | **nubis** Poen. I 3, 24. **opes** Pers. (253). Poen. (V 4, 6). | **oneis** Pseud. 140. | **parentes** Pers. 620. | **partis** Merc 276 — **partes** Rud. 552. | **pedes** Cas. IV 4, 1. | **perduellis** Pseud. 583. | **piscis** Stich. 359. | **praesepis** Cas. prol. 57. | **sentis** Cas. III 6, 1. | **testis** Poen. I 2, 38. (V 2, 11. V 2, 12). | **uelites** Cist. fragm. pag. 300, 2 et 8. | **uentres** Cas. (IV 1, 19). | **uirtutes** Mil. 32. | **aequiperabiles** Trin. 466. | **Carthaginiensis** Poen. V 2, 3. | **contubernales** Mil. 184. | **dapsilis** Most. (982). Pseud. (396). | **dotales** Mil. 1166. | **duplices** Pseud. (580). **grandis** Pers. 658. | **maniplaris** Most. (1048). | **Massilienses** Cas. (V 4, 1). | **mortalis** Poen. (III 3, 40) — **mortales** Poen. (III 2, 26). | **nuptiales** Cas. (V 1, 2). | **omnis** Capt. 910. (Cas. III 5, 31. 36). Mil (33). 191. 1300. Pers. 731. Poen. (II, 52. V 4, 6). Pseud. 588. Stich (39. 178). 205. 305. (362). Trin. 78. 667, **omneis** Men. 231. 237 Merc. 513. Pers 325. Stich. 349 — **omnes** Capt. 916. (918). Epid. 678. Mil. 184. Most. (591). Pers. 353. Poen. (I 3, 24. V 3, 7). Pseud. 840. Trin. 548. | **participis** Pseud. 588. | **plureis** Stich. 607 — **plures** Trin. 291, **complures** Stich. (170). | **popularis** Poen. IV 2, 84. V 2, 5. | **sapientis** Stich. 39. | **similes** Mil. 699. | **terrestris** Pseud. 835. | **triplicis** Pseud. 580. | **tris** Merc. 281. Pseud. 691. 705, **treis** Men. 219. | **tristis** Bacch. (669). | **turpes** Poen I 2, 125. | **uenalis** Rud. (584) — **uenales**

Trin. 332. **dormientis** Rud. (595), **exeuntis** Mil. 1136, **laetantis** Stich. 407, **osculantis** Mil. 176, **uolantis** Poen. II, 36, **aduenienteis** Stich. 682 — **oboedientes** Mil. 611.

is uide **eis**.

-**isse** uide —**iisse**.

iste ante uoc.: Mil. 364. Poen. III 5, 34 (779). Stich. 529: ante cons.: Most. 944. Pers. 590. Pseud. 737. Truc. II 1, 10 (220) — **istic** ante uoc.: Epid. 488. Pseud. 712, 723; ante cons.: Epid. 641. Most. 983. Pseud. 648. 649. 1193. **istíc tibi** Mil. 1397. **istá** ante uoc.: Epid. 622. Mil. 552; ante cons.: Pseud. 1008 — **istaec** ante uoc. uel h: Merc. 523. Mil. 46 (cod. **istic**). Pers. 314. Pseud. 448. 1298; ante cons.: Mil. 474. Pers. 23. 344. 516. Poen. I 2, 141 (354). Trin. 413. 738. | **istuc** constanter et ante uoc.: Cas. prol. 68. II 2, 14. III 5, 25. 35. Cist. fragm. pag. 297, 17. Epid. 659. Men. 528. 536. Merc. 494. 759 (falso pro **istic**). 780. Poen. I 2, 150 (363). II, 41 (488). III 2. 18 (595). III 3, 24 (637). V 2, 61 (1021). V 4, 12 (1184). Pseud. 716. 875. 945. 1165. Stich. 107. 118. 332. 703. Trin. 246. 353. Truc. II 2, 59 (314), et ante cons.: Cas. III 3, 21. III 5, 18. V 4, 16. Cist. I 1, 80. II 1, 33. Epid. 95. 225. 553. Men. 242. 265. Merc. 300. 306. 484. Mil. 19. 185a. 395. 1017. 1123. 1125. 1149. Most. 1008. Pers. 178. 276. 388. 389. 536. 537. 736. Poen. I 3, 18 (427). I 3, 19 (428). III 3, 32 (645). IV 2, 55 (877). IV 2, 91 (912). V 2, 42 (1002). V 4, 26 (1197). V 4, 71 (1241). V 6, 10 (1347). Pseud. 313 (**istunc** cod.). 391 (**istunc** cod.). 608. 931. 972. Rud. 565. 792. Stich. 26. 37. 346. 474. 549. Trin. 88. 195. 319. 545. Vid. III 6. V 28, Mil. 570 **istuc** prima manus recte scripsit, altera correxit **istut**, quod scriptum est Epid. 150, **istud** modo Pseud. 914 scriptum est, de **istud** pro **istuc** cogitari potest Pers. 359, prorsus incerta est lectio Cist. I 1, 77. Merc. 761. Poen. V 4, 98 (1267), item Most. 979, ubi aut **illud** aut **istud** exaratum esse potest. | **istius** Trin. 552 trochaei loco. | **isti** dat. constanter Cas. III 5, 7. Most. 655. 918. Pers. 510. Poen. I 3, 34 (443). Pseud. 316, etiam Truc. I 2, 100 (203), ubi metrum **istic** requirit. | **istum** ante uoc.: Cas. IV 2, 6. Pers. 300. Pseud. 1320; ante cons.: Cist. fragm. pag. 227, 1 (**istúm**). Mil. 1394. Most. 668. 843. 964. Pers. 298 (**istúm**). Poen. III 3, 36 (649). V 4, 44 (1214). Stich. 344. Trin. 433 (**istúm**). Truc. II 1, 10 (220) — **istunc** ante uoc.: Epid. 496; ante cons.: Cist. I 1, 95. Mil. 1425. Most. 669. Pseud. 282. 652. Truc. II 2, 47 (302), Pers. 672 incertum, utrum **istúm** an **istúnc** scriptum sit. | **istam** ante uoc.: Cas. III 4, 14. IV 2, 6. Epid. 154, 705 (?). Men. 205 (cum hiatu). Most. 845. Pseud. 292; ante cons.: Cas. I, 19. III 2. 18. Mil. 700. Pers. 622. Pseud. 1011. Trin. 372. 385 — **istanc** ante uoc.: Cas. prol. 53 (**Sibi istánc**); ante cons.: Cas. III 2, 18 (**istánc**). Merc. 767. Pers. 192 (**ob istánc rem**). 492 (**ob istanc rem**). **isto** abl. ante cons. Trin. 567 — **istoc** ante uoc.: Mil. 359. Poen. III 5, 37 (782); ante cons.: Bacch. 687. Men. 168 (**istóc**). 344. Most. 915. 1014. Poen. I 2, 171 (384) (**istóc**). V 4, 48 (1218). Pseud. 265. 356. Stich. 537 (**istóc**). Truc. II 4, 22 (373). | **ista** abl. ante cons. Mil. 581 — **istac** ante cons. Cas. III 4, 22. Epid. 79. Poen. V 5, 27 (1306). Pseud. 123 (**istác**). Stich. 111, Mil. 555 **istac hospita** falso pro **ista h.** **isti** nom. plur. ante uoc.: Pseud. 296; ante cons.: Poen. III 2, 12 (590). Pseud. 179 (**ubi istí**). | **istae** ante uoc.: Most. 943; ante cons.: Epid. 224. 229. Pers. 499 (**istaé**). Rud. 563 — **istaec** ante cons.: Men. 520; ante uoc.: Pers. 498 (fortasse falso pro **istae**). **istaec** neutr. plur. constanter, ante uoc.: Cist. fragm. pag. 300, 10. Merc. 477. Mil. 31. Trin. 313; ante cons.: Cas. V 4, 17. Epid. 510. Merc. 764. Mil. 195. 1002. Most. 961. 985. 987. Poen. III 1, 71 (574). V 5, 38 (1317). Pseud. 362. 430. 432. Rud. 578. Stich. 23. Trin. 77. 655. 747. Truc. I 2, 80 (183). **istorum** ante cons. Poen. III 2, 7 (584) (**istorúm**). Trin. 333. **istis** ante uoc.: Pseud. 838; ante cons.: Epid. 471. Mil. 737. Most. 609. Pseud. 101. 310. **istos** ante uoc.: Rud. 786; ante cons.: Poen. V 3, 53 (1172); in exitu uersus Pseud. 1333. | **istas** ante uoc.: Most. 659. 939. Poen. V 6, 11 (1348); ante cons.: Most. 988. Pers. 516.

ista aduerb. ante uoc.: Most. 964 (?); ante cons.: Most. 1064 — **istac** ante cons. Trin. 383. | **isti** ante uoc. Cas. III 2, 16. Epid. 721. Mil. 255. Most. 764. Pers. 405 — **istic** ante uoc.: Most. 939. Rud. 572. Stich. 90. 321. Trin. 531; ante cons.: Cas. V 3, 15. Mil. 558. Most. 964. Pers. 523. Poen. V 4, 55 (1225). Pseud. 34. 864. 1137. 1139. 1159. Stich. 93. Truc. II 2, 30 (285). | **istinc** ante uoc.: Pseud. 33. 1196; ante cons. Epid. 567. Mil. 1169. Poen. V 5, 40 (1319). | **istuc** ante uoc.: Cas. II 2, 9. III 2, 13 (sed metrum **isto** requirit). Pers. 610. Pseud. 335; ante cons.: Cas. III 4, 24. Trin. 551, **istoc** Pers. 504; **isto modo** Most. 837 ante uoc.

i pro **u**: uide **exilem, monimentum, quadriplicauit;** modo **i** modo **u** scriptum: conf. **carnufex, cluens, erupui, existimo, magnificus, lubens** etc., **mancipium, manufesto, sacruficare, surripio, uolimus,** — **umus,** — **imus.**

iui uide sub **iero**.

Iuppiter constanter: Cist. II 1, 40. 43. Epid. 610. Merc. 762. Mil. 1133. Poen. I 3, 31 (440). II, 41 (488). V 3, 44 (1163). V 4, 14 (1187). V 4, 18 (1191). V 4, 49 (1219). V 5, 46 (1325). Pseud. 13. 328 bis. 330. 335. 574. 836. 844. 845. 923. 934. Rud. 569. Trin. 447. Truc. II 4, 21 (372).

L.

l falso pro **e**: **uale ibi** (**uae tibi**) Pseud. 631. **rlm** Pseud. 926; pro **i**: **l** Cas. III 5, 17. **delerault** Cas. III 5, 37. **illorum** (**Iliorum**) Bacch. 951. **illi** (**Ilio**) Bacch. 953. **uel** Merc. 320. **maloris** Mil. 373. **malorem** Mil. 711. **malorum** Stich. 282. **mel** Poen. V 1, 19 (952). **Pellam** Pseud. 869; pro **t**: **alienent** (**attenent**) Pers. 497. **uoluero** Pers. 568. **uolui** Poen. II, 8 (456). **uolet** Trin. 474 (priore loco), conf. **uolo** pro **uoco** Poen. V 4, 55 (1225). **filius** pro **fidus** Most. 785; falso geminatum: **lallas** Poen. I 2, 130 (343). **Anterastillis** Poen. IV 2, 73 (895), at **exbaliato** pro **exball.** Pseud. 198; **l** modo simplex modo geminatum: uide **aula, mille, paullum;** conf. praeterea **alium, belua, ballaena, ballista.**

labos Trin. 271.

lacruma etc. Capt. 928. Pseud. 10. 101. Trin. 290: **lacruma** (imper.) Poen. V 4, 19 (1191). **lacrumans** Pseud. 44 — **lacrima** etc. Stich. 20. 466.

lampadem Cas. IV 4, 16.

lanificium Merc. 520.

laridum Men. 210.

Lartius Bacch. 946.

lasserpici Pseud. 816.

lana Stich. 533, **lauabat** Truc. I 2, 95 (198) — **lauis** Pseud. 10 — **lauta** Poen. V 4, 27 (1197). Pseud. 164. Truc. II 4, 27 (378) bis, **lautus** Cas. IV 1, 10, **lautum** Stich. 595 — **elutum** Trin. 406, **inlutis** Poen. I 2, 103 (316).

legerupa Pseud. 363 — **legirupum** Pseud. 975 (sed ut etiam de **leger.** cogitari possit).

Lemn(ise)len(em) Pers. 248.

libens, libet, libido uide **lubens** etc.

libella Pseud. 98. 1146 — **libelam** Pseud. 629

littera etc. constanter: Bacch. 941. Merc. 303. Pers. 173. Pseud. 23. 27. 42. 99. Trin. 345. Truc. II 2, 9 (264).

littore an **leitore** scriptum sit Rud. 1019, incertum est.

locatiuus: Carthagini Poen. V 2, 96 (1056), non prorsus certum Cas. prol. 71 sicut **Sicyoni** Pseud. 995, **Carthagine** Poen. V 2, 78 (1038). **Achaerunte** Poen. I 3, 22 (431): conf. praeterea **peregre** et **ruri.**

locutus etc. Trin. 563. Poen. V 3, 24 (1143), **conlocutus** Pseud. 620, **elocutus** Men. 172. 224. Mil. 476. Poen. IV 2, 63 (885). Pseud. 664. Stich. 346. 372.

—locus, —loquus: mendacilocum Trin. 769 — **mendaciloquius** Trin. 200; **confidentiloquius** Trin. 201; **largiloquae** Cist. I 2, 3, conf. **blandiloquentulus** Trin. 239; **stultiloque** Pers. 514; **stultiloquentiam** Trin. 222; **uaniloquidorus** Pers. 702; **nugiepiloquides** Pers. 703; **tedigniloquides** Pers. 704.

lubens Cas. III 4, 17. Rud. 869. Pseud. 5. Stich. 373. 374, **lubentem** Stich. 288, **lubente** Truc. II 4, 10 (361), **lubentissimo** Pseud. 1316, **lubenter** Poen. IV 2, 59 (881). Stich. 592, **lubentius** Rud. 780 — **libens** Stich. 465. 481, **libente** Stich. 474, **libenter** Pers. 10. 337.

libentia Stich. 276.

lubido Epid. 240. Pers. 188. Poen. V 5, 43 (1322). Pseud. 552. Trin. 746.

lubet Bacch. 923. Cas. I, 11. V 1, 5. V 4, 30. Cist. fragm. pag. 311, 15. Epid. 689. 692. V 2, 66 (731). Mil. 363. 1407. Most. 601. 772. Pers. 316 (**iubet**). 398. 604. Poen. I 2, 116 (329). V 4, 96 (1266). V 5, 29 (1308). V 5, 30 (1309). V 6, 15 (1351) (**iubet**). (V 6, 16 = 1352). Pseud. 593. 1299. Rud. 567, **lubeat** Trin. 86, **lubeant** (**iubeant**) Trin. 211, **lubere** Pers. 376. 377 — **libet** Cist. fragm. pag. 311, 8. Epid. 150. 696. Most. 856. Pers. 277. Poen. I 2, 125 (338). suppl. 1 (1372). Stich. (424). 597, **libeat** Truc. II 1, 23 (234), **libebit** (**licebit**) Truc. II 1, 2 (212), **libuit** Rud. 587. Pseud. 348, **libitum** Pseud. 913. **conlibitunst** Merc. 258.

luci Cas. IV 2, 7. Merc. 255. Stich. 364.

ludificatur pro **ludificat** Most. 832.

lyrche Pers. 421.

M.

m ante **—st** omissum: **eadest** Stich. 434. Trin. 445. **tantidest** Merc. 315. **aequost** Stich. 99. **bonust** Trin. 462. **certust** Capt. 1026. **dignust** Pers. 371. Trin. 1045. **maxumust** Poen. V 5, 24 (1303). (**litiust** Rud. 583); **adeptust** Epid. 234. **currendust** Pseud. 311. **decretust** Stich. 218. Vid. V 6. **dicendust** Most. 948. **factust** Truc. II 1, 8 (218). **fultust** Stich. 94. (**futurust** Epid. 625). **inditust** Men. 263. **paratust** Pseud. 397. **sustentatust** Stich. 467, conf. **pereunduset** Mil. 180. Atque etiam praeter hanc condicionem **m** haud raro omissum: conf. **attica** Cas. III 5, 24. **ecca** Cas. II, 1. 15. **nequa** Pseud. 1050. **seruitute** Mil. 482. **uia** Poen. III 3, 59 (698). **qua** Epid. 454. Men. 592. **quo** Cas. III 2, 25. Pseud. 208. **cinaedu** Poen. V 5, 39 (1318). **arrabone** Rud. 555. **adeptust** (**adempt.**) Epid. 234. **conteplat** Trin. 863. At falso additum est: **illam** Cas. III 2, 12. Mil. 67. Trin 247. **scipionem** Cas. IV 4, 6. **ordinem** Poen. III 2, 13 (590). **causam** Pers. 338. **ceram** Pseud. 36. **mortuumst** Pseud. 309. **aequiumst** Stich. 290, conf. **uiolentum est** pro **uiolentust** Truc. II 2, 62. **facilem** Pseud. 583. **donam** Stich. 291. **curam** Trin. 391. **unam** Trin. 412. **speciem** Trin. 840. **summam** (**sumam**) Men. 244.

m falso positum pro **n**: **mimis** (**nimis**) Most. 576. **me** (**ni**) Pseud. 917. **ahemum** Pseud. 157. **imibitur** Cas. III 6, 25. **im uita** Merc. 471. **im mari** ?Vid. V 17. **mercatum** Epid. 495. **nullam** Stich. 260.

maccidem Pseud. 832.

maeror etc. (Cas. III 5. 50). Stich. 303. **maestus** Bacch. 669. Most. 796 — **meror** Stich. 215.

magnificus Pseud. 195. **magnifice** Pers. 308. Pseud. 167. 195. 911. **magnificare** Stich. 101 — **magnufice** Cas. III 6, 4. Pseud. 702.

maleficos Trin. 551; paulo uerisimilius **maleficos** Cas. IV 2, 4 quam **malif.**, minus probabile **malif.** quam **maleficos** Mil. 191. **malefice** Pseud. 1211, at Pseud. 195 **malificus** uerisimilius quam **malef.**

maleuolentibus Pseud. 1006, paulo uerisimilius **maleuola** Poen. I 2, 181 (393), **maleuolentes** Stich. 391 quam **maliu.**, at Stich. 208 **maliuolus**, 385 **maliuoli** multo uerisimilis quam **maleu.**

mammeata an **mammiata,** non satis certum Poen. I 2, 181 (393).

mancipium etc. Mil. 23. Pers. 525. 532. 589. Stich. 210. Trin. 421. Truc. II 2, 19 (274) — Epid. 686 **mancupium** ex spatio uerisimilius quam **mancip.**

mane Merc. 255. Poen. III 3, 37 (650); Most. 767 non satis certum, utrum **a mane** an **a mani** scriptum sit.

manufesto Bacch. 696. Men. 562. Most. 679. Pseud. 1160, **manufesti** Poen. IV 2, 40 (862) — **manifesto** Truc. I 2, 30 (132). **manifestum** Men. 594.

maniplaris Most. 1048; Pseud. 181 utrum **maniplatim** an **manipulatim** scriptum fuisse probabilius sit, incertum.

manstruca Poen. V 5, 34 (313).

mare abl. Poen. I 3, 23 (432) — **mari** Epid. 679. (Merc. 695). Pseud. 317. Rud. 562. 579. Stich. 365.

marsuppium Epid. 511. Men. 254. 265. Poen. III 5, 37 (782). Rud. 542.

Mauortem Mil. 1414.

med Cas. I, 55 (Men. 492. 1141), ceteris locis contanter **me,** nisi quod Pers. 280 **meo** ex **med** corruptum uideri potest (sed conf. Pseud. 16, ubi scriptum est **meo** pro **me**).

meliam Pseud. 741.

mellilla etc. Cas. I, 47. Cist. fragm. pag. 297, 16. Pseud. 180.

mellina uel **milliua** Epid. 23.

mena Poen. V 5, 33 (1312).

mendacilocum Trin. 769, conf. **—locus —loquus.**

mendacium etc. constanter: Bacch. 525. (696). 957. Pseud. 403. 432. 689. 838. 927. 932. Rud. 515. Trin. 200. 769. Truc. I 2 30 (132).

mercennarium Vid. III 27.

merendam Most. 966 — **maerendam** Vid. III 35.

meretrix etc. Cas. III 3, 22. Cist. I 1, 82. Men. 125. 193. 261. Pers. 632. Poen. I 2, 85 (298). I 2, 91 (304). I 2, 92 (305). I 2, 126 (339). II, 50 (498). V 4, 3 (1176). Rud. prol. 56. 541. Truc. II 1, 16 (227). II 2, 54 (309); de **meritrix** scriptura cogitari potest modo Men. 1135. Truc. II 1, 18 (229). II 2, 63 (318).

mers Pers. 586. Poen. I 2, 129 (342).

messem Trin. 32? — **messim** Poen. V 2, 60 (1019).

mi pro **mihi** rarissime inuenitur: Poen. V 2, 90 (1050).

Rud. 539. Pseud. 331. Vid. V 8,: Stich. 620 correctum est in **mihi**: bis **me** pro **mi** scriptum est Trin. 58. 662.

migdilix Poen. V 2, 73 (1033).

mihi pro **mi** uocatiuo: Pers. 739. Pseud. 1315.

millam Merc. 524.

mille Bacch. 928. Merc. 491. Trin. 264. 425, **meille** Stich. 587; **milia** Mil. 46, **miliens** Pseud. 1057 — **millia** Poen. II, 26 (472).

mixtus: **commixtum** Pers. 407.

moechus etc. Mil. 1131. 1436 bis. Poen. IV 2, 40 (862). **moechissat** Cas. V 4, 7.

(**moenia** Rud. 692), **moenitum** Bacch. 926, **moenita** Pers. 559, **atmoenire** Pseud. 384 — **munitum** Epid. 531. Pers. 554.

moenia (munia) Stich. 695; at **munus** etc. Cist. I 1, 95. Poen. V 4, 3 (1176). Trin. 1. 354, **munerigeruli** Pseud. 181, **munerant** Mil. 715, **munerem** Mil. 690. 693, **immunis** Trin. 24. 350. 354.

monimentum etc. Mil. 704. Stich. 63.

monstrare etc. Cas. IV 4, 7. Epid. 536. Mil. 256. Poen. V 1, 26 (959). V 3, 30 (1149). Pseud. 289. 951. Stich. 146: **demonst.** Poen. III 2, 16 (593). Pseud. 595: **praemonst.** Trin. 342. 854 — **commostra** Poen. V 2, 83 (1043). **commostraremus** Poen. III 2, 25 (602).

muccidum Epid. 494.

mulcare etc. (Bacch. 934). Mil. 163. (Most. 903). Stich. 420.

multa (Mil. 395). Rud. 20, **multans** (**multant**) Cas. III 6, 3.

multigenerum Stich. 383.

multimodis Most. 785.

muluinam Men. 212 — **miluos** Poen. V 5, 13 (1292). **miluinis** Pseud. 852.

murenam Pseud. 382.

murrinam Pseud. 741, **murrinus** Poen. V 4, 6 (1179).

mussitare etc. Cas. III 5, 33. Mil. 477. 714. Truc. II 2, 57 (312).

mustela Stich. 461 — **mustellae** Stich. 499.

muttiuero Mil. 566.

Myrrhina Cas. II 2, 5. V 4, 21 — **Myrrina** V 1 inscr., conf. **Rhodo.**

Mytthumbalis Poen. V 2, 37 (997).

N.

n — ante **st** pro **m**: **aequonst** Bacch. 924. **atrunst** Merc. 306. **certunst** Merc. 472. 505. 546. **lepidunst** Cist. fragm. pag. 309. 9. **rutilunst** Merc. 306. **tantun(st)** Most 631. **bienniunst** Merc. 533. **lucrunst** Merc. 553. **actunst** Pseud. 710. **conlibitunst** Merc. 258. **decretunst** Most. 667. **futurunst** Pseud. 568. **inditunst** Merc. 517. **praeceptunst** Poen. III 2, 17 (594). **solitunst** Pseud. 1178. (**demunst** Most. 842), semel —**un est** pro —**unst** Pers. 679 **futurun est**. Trin. 378 utrum **patiundumst** an **patiundunst** scriptum sit, discerni non quit. Sed etiam praeter hanc condicionem haud raro **n** pro **m** scriptum est: **ne** Stich. 182 etc. **doni** Mil. 739. **meanne** Mil. 488 **ponpam** Poen. V 2, 52 (1012). **iten** Stich. 463. **tan** Mil. 59. **uerun** Pseud. 331. **Agorastoclen** Poen. V 2, 83 (1043), **Periphanen** Epid. 612, **Pyrgopolinicen** Mil. 54, **Stratippoclen** Epid. 508. Praeterea uide **etiannunc, iandudum, nunquam, unquam, nunquis, tanquam.**

nactus etc. Bacch. 506. Cist. fragm. pag. 312, 15. Epid. 619. Poen. V 5, 8 (1287) — **nanctus** etc. Trin. 63. Truc. II 2, 25 (280).

narauisti Vid. V 15, ceteris locis constanter **narrare** etc.: Bacch. 519. Merc. 481. 482. Mil. 386. 395. 1404. Pers. 493. 499 bis. Poen. II, 44 (492). V 2, 67 (1027). V 6, 2 (1339). Pseud. 20. 1008. Stich. 144. 380. Truc. II 2, 29 (284). II 2, 58 (313).

nassa Mil. 581.

nassiternam Stich. 352.

nassum (**nasum**) Merc. 310.

natus uide **gnatus.**

naui (abl.) Pers. 530. 790. Poen. III 3, 38 (651); **nauem** Cas. III 2, 27. Merc. 257. 259. 461. Pers. 677. Rud. 538. Stich. 531 — **nauim** Mil. 1187. 1188.

nauigatorias uide **nugae.**

ne affirmatiuum constanter: Cas. IV 3, 12. Men. 160. 256. Mil. (403). 471. 565. Most. 585. Pers. 427. (595). 733. Poen. III 3, 82 (695). Stich. 587. 635 bis. Trin. 433. Vid. V 14; Mil. 571 cod. **ni** habet itemque, ut uidetur, Bacch. 503.

—**ne** interrogatiuum constanter plene perscribitur post ĭ: **hĭcine** Epid. 541. Mil. 61. **haecine** Pers. 545. Poen. V 3, 47 (1166). **huncine** Pseud. 202. **hĭcine** Merc. 602. Mil. 181. Truc. II 4, 8 (359). Vid. V 3. **hucine** Stich. 621; **istocine** Pseud. 83. **istacine** Pseud. 847; **sicine** Poen. I 2, 173 (386). Pseud. 320, neque dubium est, quin Pers. 554 **hicinest,** Epid. 621. Merc. 753(?) **haecinest,** Pseud. 954 **illicinest** positum sit pro **hicine est** etc. (conf. Epid. 541 **hicine est,** Merc. 461. Poen. II, 49. Stich. 613 **certumnest** — Stich. 141. 482 **certumne est**). **egone** scribi solet ante uocales: Bacch. 489. Men. 559. Merc. 761. Mil. 685. 1139. Most. 924. 1014. Poen. I 2, 120 (333). I 3, 19 (428) priore loco. Pseud. 1320. 1327. Trin. 378. Truc. II 3, 57 (312), praeter unum locum Mil. 345 **egon id;** nam Men. 162 utrum **egon** an **egone** scriptum sit, non constat. Ante consonantes **egone** recte scriptum est Cas. I, 29. V 4, 13a. Most. 955. Poen. I 3, 19 (428) altero loco. V 6, 24 (1361). Pseud. 723. Stich. 635, **egon** Merc. 317 Pers. 188. Trin. 515. Truc. II 2, 21 (276), falso pro **egone,** ut uidetur, Most. 923. **tun** scriptum legitur ante uoc. Cas. I, 23. Pseud. 625. 939. 978. Stich. 326, item **tutin** Stich. 373, ante cons. Merc. 305. Mil. 494. 497. Pers. 295. Rud. 734, **tune** ante uoc. Epid. 641. Poen. V 5, 31 (1310). Pseud. 607. 1143, falso pro **tun te** Mil. 366, pro **tun me** Mil. 368. **men** ante uoc. Cas. III 5, 38, item **ten** Pseud. 371, **men** ante cons. Epid. 98. Poen. I 2, 187 (399), **mene** ante uoc. Poen. I 2, 155 (368). Stich. 254, item **tene** Merc. 504. Trin. 70, **mene** falso pro **men** Trin. 69. **tibin** ante uoc. Trin. 515, **tibine** item ante uoc. Pers. 721, **mihin** ante cons. (pro **mein**) Stich. 334, **mihine** recte ante cons. Stich. 635. **quaen** ante cons. Mil. 66, Stich. 501 lectio dubia est. **quin** ante uoc. Rud. 767. **itane** praeter Rud. 747, ubi dubium est, utrum scriptum fuerit **itane inpudens** an **itan impudens,** constanter: ante uoc. Bacch. 477. Mil. 66. Poen. III 3, 47 (660). Trin. 306. Truc. II 2, 37 (292), ante cons. Pers. 291, uel contra metrum Trin. 642. **quian**(?) Cist. fragm. pag. 298, 1 ante cons. **sin** ante uoc. Cas. V 4, 12. **utin** (**in**)**pluuium** Epid. 225. **benene** ante uoc. Truc. II 4, 18 (369). **perpetuen** Epid. 17 ante cons., item **ueron** Cas. IV 2, 11. Truc. II 2, 47 (302). **saluene** ante uoc. Stich. 8, item **falson** Trin. 210. **nullān** (cod. **nullam**) **tibi** Stich. 260. **nullan istic** Truc. II 2, 30 (285); **eān gratia** Stich. 328. **bonān fide** Most. 670. **ligneān salute** Pseud. 47. **mercaturan an** Trin. 332; **tuaen fidei** Cas. V 4, 28; **amóriu an** Trin. 230. **uxorin sit** Stich. 204; **seruin**

uxorem Cas. prol. 69. **saniin estis** Pseud. 1179. **daturin estis** Most. 601: **tuon arbitratu** Epid. 588 — **bonine an** Men. 574. **fontine an** Stich. 703. **illine audeant** Pseud. 205: **somnone operam** Stich. 311. | **dixin** Cist. fragm. pag. 300, 10. **nouin** Epid. 550. **sciuin** Pseud. 977. **abduxtin** Cist. fragm. pag. 299, 16. **ualuistin** Stich. 467. **uidistin** Mil. 546 (**attulistin** Pseud. 625 falso pro **attulisti**) ante uoc., ante cons. **aduuistin** Stich. 224. **dedin** Epid. 703. **dixin** Men. 283. **iurauistin** Pseud. 352. **iussin** Cas. II 2, 5. **locastin** Vid. III 10. **meministin** Epid. 554. **probistein** (pro **nouistein**) Epid. 503. **uidistin** Stich. 393 — **ualuistine** falso ante cons. Trin. 50, **accepistine a Callicle** Trin. 420 falso aut pro **accepisti** aut pro **accepstin a Callicle**. **eon** Most. 774. **habeon** Trin. 500 ante cons., ante uoc. **uerberon** Mil. 1424. || de **satisne** forma cogitari potest Bacch. 491, ubi utrum **satine uti** an **satisne ut** scriptum fuerit, incertum est. scribitur autem ante uocales modo **satine** (Bacch. 509. Merc. 481. Mil. 574. 1134), modo **satin** (Cist. II 1, 33. Mil. 393. 481. 1173. Most. 831. Pers. 18. 183 bis. 549. 658. Poen. V 5, 20. Pseud. 112. Stich. 517: Epid. 666. Merc. 495 utrum scriptum fuerit, non constat), ante consonantes secundum metrum uel **satine** (Poen. IV 2, 97) uel **satin** (Cas. III 4, 8. Merc. 755. Pseud. 23. 935. Trin. 454; de Merc. 682 non constat), modo Pers. 305 falso positum est **satine** pro **satin**; Pseud. 1321 et **satinne ultro** et **satin me ultro** scriptum esse potest. | **sanun es** Merc. 292. 489. Truc. II 4, 13 (364). **seruun es** Pseud. 610. **abiturun es** Poen. I 3, 23 (452) — (**sanusne es** Rud. 1005. **Malusne égo** Pers. 371. **nullusnest** Cist. fragm. pag. 322, 14. **Diniarchusne illic** Truc. I 2, 24 (122). **ópusnest** Pers. 584. **ratusne ístic** Mil. 558, utrumque scribendi genus confusum **missurunne es** Cas. III 4, 20. | **séd isne** (**est**) Merc. 598 (Pall. **sed is est**). **potin** Cas. III 6, 10. Cist. fragm. pag. 311, 19. 322, 13. Merc. 495. Poen. IV 2, 94 (916). Pers. 175 287. 297. Pseud 264. 393. 939. 940. Trin. 759 — **potine** (ante uoc.) Merc. 779, **pótesne** Poen. I 2, 96 (309); incertum, quid scriptum fuerit Epid. 63. Constanter **ain**: Epid. 699. Most. 964. 974. Pers. 184. 491. Poen. V 2, 1 (961). Pseud. 218. Truc. I 2, 91 (194). II 2, 51 (306); item **scin** Men. 207. 530 (**scein**). Mil. 398. Poen. I 2, 163 (376). I 3, 29 (438). I 3, 32 (441). IV 2, 57 (879). V 3, 48 (1167). V 5, 40 (1319). Pseud. 276. 641. 657. 1178. Rud. 773. 797; **uin** Cas. III 2, 14. (Cist. fragm. pag. 311, 10). Merc. 462. 485. 490. 769 (**uein**). Pers. 575. 587 bis. 657. Poen. I 2, 95 (308). I 3, 30 (439). V 2, 30 (990). V 2, 155 (1115). V 4, 56 (1226). Pseud. 324. Rud. 1035. Stich. 397. 486. Trin. 59. 502 (falso pro **di**), modo Merc. 486 ante uoc. **uisne**; **ein** Pseud. 1182, **abin** Most. 850. Trin. 457. **audin** Pers. 655. 676. Poen. I 2, 194 (406). I 2, 196 (408). V 2, 39 (999). V 2, 46 (1006). V 3, 36 (1155). Pseud. 193. 330. 665. **possin** Merc. 518. **accipin** Pers. 412. **credin** Poen. I 3, 32 (441). **cognoscin** Poen. V 3, 11 (1130). **pergin** Mil. 380. Poen. I 3, 24 (433). I 3, 25 (434). Truc. II 2, 10 (265). **pergitin** Pseud. 1249. **scitin** Men. 1154. **censen** Cist. fragm. pag. 299, 2. Merc. 461. **auferen** Pseud. 1224. 1315. **haben** Pseud. 1163. Trin. 89. **tacen** Pers. 533. **uiden** Bacch. 492. Epid. 221. Mil. 376. Most. 829. 832. Poen. I 2, 101 (314). V 2, 19 (979). Stich. 636. 637. Trin. 847 — **ualesne** falso pro **ualen** Trin. 50; **dicisne** Merc. 600. Pers. 281. **ibisne** Stich. 612. **iubesne** Stich. 598. **spondesne** Poen. V 3, 38 (1157). **stasne** Cas. III 6, 20, quibus locis metrum breuiores formas aut admittit aut commendat; denique **edisne** Trin. 473 **dabísne** Pseud. 117. **negásne** Poen. III 5, 32 (777).

nec ante uocales rarissime scriptum est: Epid. 531? Merc. 274 bis. Poen. II, 41 (489). Pseud. 1333. Trin. 181. Metrum ubi requirit formam monosyllabam, constanter scribitur **nec**: Epid. 239 **néc satis**. Pers. 194 **néc subigi**. 488 **tibi nec**. Poen. II, 45 (453) **néc potui**. III 3, 28 (641) **tibi nec**. V 5, 5 (1284) **úbi nec** — **néc quod edim**. Pseud. 272 **néc faciant**. Stich. 59 **néc noluntáte**. 166 **néc quid agam**. In eodem uersu ante consonantes **nec** ubi scriptum est, altero **nec** excipi solet: Epid. 239. Merc. 295. 509. Poen. IV 2, 37 (859). (Rud. 208). Trin. 322. 431 (at conf. Cas. III 5, 42), item **neque**: Epid. 514. 576. Men. 458. Pers. 10. 479. 525. Pseud. 575. Trin. 448. Truc. II 4, 35 (389). Ceterum in illarum formarum usu nihil discriminis indagari potest.

necessus Stich. 219.

neglegere Trin 498 (**neglenti** Pseud. 149).

negotium constanter et passim.

neniam (cod. **nneiam**) Truc. II 1, 3 (213).

nequiquam Cas. III 3, 7. Merc. 366. Pers. 358. Pseud. 436. Rud. 217 Trin. 440. 565.

ni pro **ne** particula affirmatiua Bacch 503. Mil. 571, pro **ne** particula finali Pers. 390, fortasse etiam Cist. I 1, 121.

ni pro **nisi** Bacch. 505. Pers. 186. 297. 596. Poen. IV 2, 43 (865). IV 2, 55 (877). V 4, 72 (1242). Pseud. 1216. 1323. Rud. 731. 753. Stich. 296. 401. 510. Trin. 249. Truc. II 2, 31 (286). II 2, 53 (308); **ne** pro **ni** Rud. 579.

nihil etc. constanter et passim; ne uno quidem loco **nil** extat.

nixus Mil. 203, **subnixis** Pers. 317 — **conisus** Mil. 29.

nom (= num) Most. 794.

nonc (= nunc) Poen. V 3, 39 (1158).

nonuolt pro **neuolt** Trin. 362.

nosco uide **gnosco.**

nugae etc. constanter: Cas. III 6, 22. V 3, 15. Cist. fragm. pag. 312, 9 Merc. 469. Pers. 718. Poen. III 5, 31 (776). Pseud. 1081. 1204. Stich. 294. Trin. 856. Truc. II 1, 21 (234), item **nugari** etc. Cas. V 4, 10. Epid. 478. Most. 584 — **nauigatorias** pro **naugatorias** Trin. 844.

nullius pro **nulli** Pseud. 1196.

num pro **nunc**: **etiamnum** Men. 462, **numquidem** Mil. 398. **quid numquam mox** pro **quid nunc quam mox** Most. 722: at **nuncquid** pro **numquid** Cist. I 1, 119.

nummus etc. constanter: Bacch. 668. Men. 219. 290 bis. Most. 919. Pers. 663. 684. Poen. I 2, 132 (345). III 2, 17 (594). III 3, 57 (670). Pseud. 97. 299. 356. 644. 847. 877. 1318. Trin. 844. 848, **Trinummus** etc. Trin. 20. 843, praeterea in subscriptione pag. 212 et in inscriptionibus paginarum 35. 19. 37. 48. 29. 45. 253. 39. 7. 255. 265. 9. 41. 267. 1. 15. 17. 31, uno modo loco Most. 632 **numo**.

numquam Bacch. 504. 515. Cas. I, 40. III 5, 37. Cist. fragm. pag. 297, 4. Epid. 80. 496. 600. V 2, 63 (728). Men. 92. 244. 447. 477. (518). (533). Merc. 265. 460. Mil. 190. 353. 473. 551. 581. 686. 688. Most. 914 bis. Pers. 286. 489. 533. 583. 628. 705. Poen. (I 2, 79 = 292). I 2, 87 (300). I 2, 97 (310). III 5, 17 (762). IV 2, 65 (887). Pseud. 152. 629. Rud. 581. 970. (1616). Stich. 77. 96. 156. 267. 274. 499. Trin. 237. Truc. II 1, 28 (239). II 2, 51 (306). Vid. V 6. **umquam** Cas. III 4, 27. IV 4, 11. V 2, 4. V 4, 22. 23. Cist. fragm. pag. 312, 18. II 1, 22. Men. 474. 500. 594. (Mil. 841). Most. 608. 906. 925. Pers. 194. Poen. II, 2 (450). II, 41 (488). II, 42 (489). Pseud. 314. 621. 731. 905. Rud. 219. 228. 789. Trin. 521. 533. Truc. II 1, 20 (231). II 1, 29 (240) — **nunquam** Bacch. 922. Cas. III 4, 18. V 1, 3. Cist. fragm. pag. 297, 8. 299, 4. 309, 15. 323, 1. Mil. 20. 369. Pers. 430. Pseud. 134. 136. 337. 358. 621. 925. 1318. 1319. Truc. I 2, 96 (199). I 2, 97 (200). II 1, 18 (229). **unquam** Bacch. 512. Cist. fragm. pag. 297, 13. 300, 15. II 1, 23. Epid. 593. Merc. 288. 313.

numquis etc. (Bacch. 538. Cas. III 6, 20. Epid. 593. Merc. 282. Mil. 259. 575. 1019. Pers. 551. 708. 726. Poen. IV 2, 89 (911). V 2, 48 (1008). V 6, 18 (1355). Pseud. 160. 728. (1330). Rud. 736. Stich. 102. Trin. 69. 192. 198 — **nunquis** Pseud. 370. 665. 919. Rud. 1020. **nuncquid** pro **numquid** Cist. I 1, 119.

nuntius etc. constanter: Bacch. 528. Pseud. 603. Stich. 148. 274. 275. 298. 299. 305. 395. Pseud. 603. Trin. 254 bis, item **nuntiare** etc. Cas. III 5, 61. Mil. 195. Poen. III 5, 19 (764). IV 2, 66 (888). V 2, 158 (1118). Pseud. 420. 430. 431. 1198. 1284. Trin. 56. 772.

nupsi etc. Cas. V 4, 32. Pseud. 314, item constanter **nuptum** etc. Cas. prol. 86. I, 30. II 2, 7. IV 1, 12. IV 2, 3. IV 3, 1. IV 4, 1. V 4, 32. Cist. I 1, 81. Stich. 132. 136. 140. 142, **nuptiae** Cas. prol. 73. I, 28. III 2, 16. 17. IV 3, 9. V 2, 2, **nuptiales** Cas. V 1, 2.

O.

o interiectio Bacch. 933 ter. Cas. IV 3, 3. 10. IV 4. 18. Cist I 1, 97. Men. 1132. Mil. 725 Most. 1071. Pers. 16. Poen. IV 2, 28 (850). IV 2, 36 (858). V 2, 79 (1039). V 2, 90 (1050). V 3, 8 (1127). V 4, 24 (1195) bis. V 4, 101 (1271) bis. Pseud. 734. 931. 1065. Rud. 523. 742. Stich. 583. 584. 618. Trin. 48. 1072 — **oh** Epid. 3. 177. Pers. 405. 406. Poen. I 3, 21 (430). Pseud. 988. Truc. I 2, 22 — **o** an **oh** incertum Cas. III 5, 10.

ob praepos.: Pseud. 944 de **op tuam** scriptura pro **ob tuam** cogitari potest. **ob** in compositis: **omittere**, **ostendere**, **obd—**, **obi—**, **obl—**, **obn—**, **obr—**, **obu—**, **occ—**, **off—**, **ogg—** (nisi quod Truc. II 1, 34 = 245 **occerunt** pro **ogg**. scriptum est), **opp—** (nisi quod Bacch. 488 **operiri** pro **opp**. scriptum est). Ante **s** scribitur et **ob** et **op**: **opsaepta** Pseud. 425; **obscaeuauit** Stich. 460 — **opscurasse** Trin. 667; **obsecrare** etc. Cist. fragm. pag. 300, 10. 312, 2. Epid. 243. Mil. 66. 69. Pseud. 340. 1073. Trin. 176. Truc. I 2, 83 (186). I 2, 92 (195). II 2, 47 (296), uerisimilius **obs**. quam **ops**.: Cas. III 5, 60. Men. 197. Merc. 789. Pers. 427. Poen. V 6, 25 (1362). Stich 326 — **ops**. Cas. III 4, 29. III 6, 14. IV 4, 5. 26. V 4, 15. Cist. I 1, 90. fragm. pag. 311, 5. Mil. 540. 542. 1396. Most. 787. Poen. I 2, 122 (335). I 3, 8 (417). I 3, 11 (420). II, 29 (475). III 3, 59 (672). V 4, 78 (1248). V 5, 43 (1322). Pseud. 35. 116. Rud. 559. 563. 571. 742. Stich. 299, uerisimilius **ops**. quam **obs**. Cas. II 2, 18. III 5, 6. Merc. 474. Mil. 375. 1408. 1425. Most. 610. Poen. I 2, 112 (325). I 2, 174 (387). I 2, 180 (392). V 4, 73 (1243). V 6, 5 (1342). Pseud 29. 1130. 1191; prorsus incertum, utrum scriptum fuerit Bacch. 553. Cist. fragm. pag. 312, 2. Men. 1016. Poen. I 2, 104 (317). Rud. 246; **obsequi** etc. Cist. I 1, 86. Trin. 230 — **ops**. Pers. 181; **obserere** etc. Trin. 530. 531. 532; **obseruare** etc. Epid. 604. Men. 473. Mil. 352. 399. 485. Vid. V 13; **obsidione** Most. 1048 **obsidium** Bacch. 948; **obsiguare** etc. Bacch. 935. Cas. II 1, 1. Pers. 267. Pseud. 707. 1000 — **opsignatam** Pers. 248 uerisimilius quam **obs**.; **obsistam** Mil. 353 — **opsisti** Pseud. 268 uerisimilius quam **obs**.; **obsonas** Pseud. 208; **obsonatum** Stich. 451 — **opsonare**, **opsonium** etc. Cas. III 5, 66. Men. 273. 277. Mil. 738. 749. Poen. V 5, 16 (1295). Stich. 451, uerisimilius **ops**. quam **obs**. Men. 209. Merc. 780. Stich. 440 bis; **opstant** Trin. 405, **opstitisse** Mil. 405 uerisimilius quam **obst**., prorsus incertum, utrum scriptum fuerit Stich. 287; **opstetrix** Mil. 695; **obstrusero** Stich. 594. Item ante **t** et **ob** et **op** scribitur: **obtingere** Bacch. 951 — **opt**. Merc. 320. Poen. V 5, 48 (1327). V 5, 49 (1328). Stich. 384; **optinere** Mil. 186. Most. 789. Stich. 455, **optine** uerisimilius quam **obt**. Cas. III 5, 16; **optegere** Trin. 649, **optunso** Cas. V 1, 8 uerisimilius quam **obt**.; **optueri** Most. 837. 840; **obtorto** Rud. 853; **obturent** Stich. 114.

obicere etc. Mil. 148. Pseud. 592. Poen. V 4, 65 (1235). Trin. 410, Rud. 770 **obeiciam** (minus uerisim. **obiiciam**) scriptum est.

obiurigem Trin. 70 (**obiurgitem** Trin. 68).

oboedire constanter: Mil. 611. Pers. 273. 378. Poen. I 3, 39 (448).

obtunso Cas. V 1, 8 — **pertusum** Pseud. 369.

ocius constanter: Most. 679. Pers. 181. Stich. 353. 643.

odor Poen. V 4, 6 (1179) — **odos** Pseud. 841. 842.

o pro **e** post **u** uide sub V.

oiei Mil. 1406.

omnibus modis pro **omnimodis** Stich. 684.

opifex Most. 828.

opinor constanter scribitur, etiam ubi metrum **opino** requirit: Cas. III 2, 11. Bacch. 487. Pers. 343. Trin. 422, modo Poen. V 3, 50 (1169) incertum est, utrum **opinor ercle** an **opino hercle** scriptum fuerit; nam Cas. III 5, 53 de **opino** uix est cogitandum.

orcus uide **horcus.**

—or, **—os**: **honor** Trin. 663. **odor** Poen. V 4, 6 (1179) — **labos** Trin. 271. **odos** Pseud. 841. 842.

—orum pro **um**: Trin. 848 **nummorum**, at **—um** pro **—orum**: Pseud. 584 **nostrum.**

—osus etc.: **comfragosas** Men. 591; **curiosi** Stich. 198, **curiosus** Stich. 208; **damnoseis** Pseud. 415; **dolose** Pseud. 959, **doloso** Mil. 198, **dolosus** Pseud. 1251; **elleborosus** Most. 952; **famosum** Cas. V 4, 13i, **formidulosam** Pseud. 824; **gloriose** Pers. 307. Stich. 277, **gloriosum** Pseud. 674, **gloriosus** in Militis subscriptione pag. 382 u. 7 et in titulis paginarum ad Militem pertinentium 361. 367. 221. 269. 275. 281. 287. 289. 61. 55. 307. 433. 421. 431. 445b. 435. 407. 417. 445a. 427a. 379. 381; **imperiosus** Pseud. 996; **laboriosa** Vid. III 14; **latebrose** Trin. 279; **malitiose** Mil. 562, **malitiosum** Mil. 569; **moros(i)** Poen. I 2, 166 (379), **morosos** Trin. 669; **mulierosos** Poen. V 5, 24 (1303); **negotiosus** Pseud. 645. Truc. I 2, 38 (140); **odiosa** Pers. 349, **odiosus** Men. 502. Mil. 742. Pseud. 30; **otiose** Trin. 1077, **otiosum** Truc. I 2, 34 (136), **otiosus** Truc. I 2, 40 (142); **perfidiose** Vid. V 6; **propudiosa** Truc. II 2, 16 (271); **ridiculosissimos** Stich. 389; **robiginosam** Stich. 228; **uentriosus** Pseud. 1218; conf. **aerumnos** — Epid. 559; **uno(se)** Most. 607 — **ossus**: **laboriossi** Merc. 507; **negotiossam** Stich. 356; **odiossae** Trin. 37; **o(pe)r(os)sam** Cist. fragm. pag. 311, 6; **radiossus** Stich. 365; incertum, utrum Stich. 334 **propudiose** an **propudiosse** scriptum fuerit.

otium, otiosus etc. constanter.

o pro **u**: **aemolos** Pseud. 196; **exolatum** Most. 597. Trin. 535; **exsorgite** Epid. 733; **hercole** Pers. 193; **holos** pro **huius** Pseud. 271; **locos** Mil. 601; **nom** Most 794; **nonc** Poen. V 3, 39 (1158); **trieront** Pseud. 818; **certost terminos** Pseud. 400; **Periplectomenos** Mil. scaen. inscr. II 6, fortasse etiam II 1, item **Sceledros** II 3, conf. praeterea **baiolus, colustra, hoc, robiginosam.** De **uo, uu** uide sub V.

P.

paenitet Mil. 740. Rud. 578. Stich. 307. Trin. 321; **paenitebit** an **poenitebit** scriptum sit, incertum Stich. 551; **penitet** extat Pseud. 305.

parcepromis an **parcipromis** incertum Truc. I 2, 81 (184).

paruolus etc. Poen. IV 2, 74 (896). V 6, 9 (1348). Stich. 161; **paruul(um)** an **paruolum** Capt. 1013 scriptum sit, incertum; de Poen. V 2, 145 (1105) nihil constat.

passo partic. Stich. 369, at **dispensis** Mil. 360 — **passum** subst. Pseud. 741.

patrissat Pseud. 442.

paulisper Bacch. 486. Mil. 196. Pseud. 38.

paullum Poen. I 2, 102 (315). Vid. III 32 bis; **paullo** Pseud. 380 — **paulum** Epid. 238; **paulo** Trin 191. Pseud. 896 (ex spatii computatione).

pausillulam Stich. 163; **pausillatim** Epid. 248; **pusillo** Stich. 175 — **pauxillulo** Pseud. 706. Stich. 272.

pell— et **perl**: **pelligere** (**pelleg.**) Pers. 497. 500. Pseud. 31. 40. 61. 997; **pellexerunt**(?) Men. 343 — **perlegere** etc. Bacch. 923. Pers. 517. Pseud. 993; **perlongum** Trin. 745.

pelligere et **pellegere**: **pelligo** Pers. 500. Pseud. 40, **pellig(am)** an **pelleg(am)** incertum Pseud. 31. 61, item **pellige** an **pellege** Pers. 497, **pellige(re)** an **pellege(re)** Pseud. 997 — **perlegere** Bacch. 923; **perlegere** an **perligere** incertum Pseud. 993.

pennis uerisimilius quam **pinnis** Poen. IV 2, 49 (871), ib. **pennas** an **pinnas** incertum, **pinna** Poen. II, 40 (487).

pentetronica Poen. II, 25 (471).

percontari Capt. 917. Cas. III 3, 8 (cod. **contarier**). Most. 963 (ex spatio). Pers. 499. 592. 598. 599. 604 (cod. **percontiri**). 611. 619. Poen. V 1, 27 (960). Pseud. 462. Stich. 366. Trin. 1077 — **percuntari** Pers. 601. Stich. 370 — **percunctari** Epid. 24. Most. 682. 940.

perduim Poen. IV 2, 62 (884); **perduit** Epid. 66; **perduint** Most. 668. Poen. IV 2,41 (863). Stich. 595, de Cas. III 5, 17. Men. 451. Merc. 710 non constat.

peregre Bacch. 536. Epid. 533. Most. 611. 976. Stich. 543. 585. Trin. 423. Truc. I 2, 83 (186); **peregre** an **peregri** Cas. prol. 62 incertum, illud uerisimilius Truc. I 2, 26 (127). Pseud. 51 — **peregrei** Most. 957.

peregrinus etc. Poen. III 2, 23 (600). V 2, 7 (1031). Pseud. 1231; **peregrinus** an **perigrinus** scriptum sit, incertum Trin. 767. 768; nihil constat de Cist. I 2, 24. Poen. III 5, 25 (770).

perhibere etc. Epid. 628 (ex spatio). Stich. 12. 25. 274. Men. 262.

periculum etc. falso pro **periclum** (Most. 851). Pers. 524. 715. Poen. IV 2, 56 (878), at recte **periculo** Trin. 858 et **periclum** etc. Cist. II 1, 28. Mil. 1151. Pseud. 289. 1076. Stich. 269.

Periplectomenus etc. Mil. 170. 540. 610 (ex spatio). 1396. scaen. inscr. II 2. II 6 (corr. ex **Peripletomenus**).

periurare etc. constanter: Cist. II 1, 24. Merc. 539. Poen. II 34 (480). V 4, 72 (1242). Pseud. 354. 1057, etiam Poen. V 4, 72, ubi metrum **perieres** pro **periures** requirit. Conf. **coniurasset** Cist. fragm. pag. 297, 9, **coniurauimus** Merc. 536, **deierauit** Cas. III 5, 37.

periurium etc. constanter: Cist. fragm. pag. 311, 6. Pers. 557. Pseud. 132.

periurus etc. Mil. 21. Pers. 408. Poen. III 1, 72 (575). Pseud. 351. 363 — **peiurum** Pseud. 1083, **peiiurum** Pseud. 975, **peiiurius** Trin. 201.

permities (cod. **permittes**) Pseud. 364.

perpetim Truc. II 2, 24 (278).

perpetue Epid. 17 — **perpetuo** Men. 1149. Poen. I 2, 82 (295). Pers. 281.

pertusum Pseud. 369.

peruorse Merc. 291. Most. 952. Pers. 368. Trin. 183 (corr. ex **peruorsae**). Truc. I 2, 41 (143); conf. Cist. fragm. pag. 300, 9 **peruorsar**—.

peruortere etc. Cas. IV 1, 16. Poen. IV 2, 52 (874). Stich. 287.

perueniant pro **peruenant** Trin. 93.

peruulgatum Pseud. 124.

pettus pro **pectus** Epid. 555.

philippi Pers. 339, **philippos** Poen. I 3, 6 (415). III 3, 57 (670). III 5, 26 (771). V 6, 26 (1363), **philippum** Poen. III 2, 22 (559) — **philippeos** an **philippios** incertum Poen. III 5, 36 (781.)

pignori Most. 978. Pseud. 87, **pignore** Rud. 581.

pistrino Pseud. 1060 — **pristinorum** Pers. 420.

plaustrum Epid 592.

Plesidippus Rud. 554. 871.

Pleusicles Mil. 596. 610. 805. 1133. scaen. inscr. IV 4.

poeniceo an **poenicio** incertum Pseud. 229.

Polymachaeroplacides Pseud. 988, **Polymachaeroplacidem** 991, **Polumachaeroplacidi** 989, **Polumacheroplagides** 1150, **Polimachaeropla** — 999 uerisimilius quam **Polym.**

popli Cas. III 2, 6. Pers. 408, **poplo** Pseud. 126, at **populi** Pseud. 365. Stich. 490, **populo** Pseud. 1129, ubi metrum bisyllabam formam commendat, **popularis** Rud. 740, ubi metrum **poplaris** requirit.

porge Pseud. 708 (cod. **proge**), **purgite** Epid. V 2, 68 (733), conf **exporgi** Pseud. 1.

poriciam Pseud. 266.

post constanter, nusquam **pos.**

postea falso pro **post** uel **poste** Stich. 380. 383 — **poste** Stich. 623.

postilla Cas. 1, 31. Poen. III 5, 5 (750).

pote Trin. 352.

potest, potis: **quantum potest** Pers. 578. Stich. 232. 250. Trin. 765, (**quantum pote** an **poti**?)s Men. 1056. **quantum pote**... Most. 1051, si **potest** Pseud. 122, **si potest**, **si non potest** Pers. 578, **potest ut** Pseud. 633, **neque potest quin** Mil. 603, **non potest quin** Mil. 693, **non potest** Cist. fragm. pag. 311, 7. Mil. 252, **numquam potest** Mil. 551, **unum hoc potest** Stich. 593, **qui id potest** Poen. IV 2, 70 (892), **qui potest** Pseud. 930, **sin id fieri non potest** Cas. V 4, 12, **id fieri non potest** Pseud. 7, **si id fieri non potest** Poen I 2, 183 (395). **potest** pro **potis** uel **pote** Poen. V 6, 26 (1363). Truc. II 2 62 (317), pro **possiet** Most. 984, pro **potes** Poen. I 2, 138 (351) — **negant pendi potis** Epid. 227, **tam confido quam potis** Stich. 454, **potis esse te** Pseud. 1302; **potis est** Poen. I 2, 74 (286), pro **potis** Stich. 626, **potis est** etiam Stich. 121 in corruptela **potusrest** latere uidetur, **potis es** (pro **sis**) Poen. IV 2, 53 (875) — **potist** Pers. 580 **potest** an **potist** incertum Merc. 778. Conf. **potin** sub —**ne.**

poten pro **potin**, ut uidetur, Epid. 63.

praegnas Truc. I 2, 96 (199). II 4, 35 (389), **praegnatem** II 4, 36 (390).

praehibéo Pseud. 182, **praehibét** Cas. III 2, 7, **praéhibet** Rud. 530. **praéhibuit** Mil. 591. **praehibétur** Pers. 429. **praéhiberí** Pers. 510 — **praebeo** etc. Epid. 727. Men. 90. Merc. 543. Poen. III 3, 44 (657). V 2, 93 (1053) utroque loco. V 4, 52 (1222). Pseud. 368.

praesepis Cas. prol. 57, at **opsaepta** Pseud. 425.

praeolat Mil. 41.

praeterhaec pro **praeterhac** Stich. 345.

praestigiator Cist. fragm. pag. 300, 12 — **praestrigiator** Poen. V 3, 6 (1125), **praestrigiatrix** Truc. I 2, 32 (134).

praeuorti etc. Capt. 1026. Merc. 463. Pseud. 602.

prehéndere etc. Bacch. 696. Mil. 1426. Pers. 293. Poen. I 2, 163 (375). V 4, 62 (1232). Pseud. 725, **cómprehéndar** Mil. 579, **reprehéndit** Epid. 1, **réprehendérunt** Mil. 60, **réprehendam** Pseud. 223 — **prensus** Bacch. 950, **adprehendam** pro **ádprendám** Poen. V 4, 56 (1226)

pretium: de **praetium** scriptura uide **ae** pro **e.**

pro interiectio: Mil. 361. 1133. Men. 474. Poen. V 2, 28 (988). Trin. 501.

promiscam Pseud. 1062.

prosenserit pro **praes.** Mil. 1152.

pro(mp)s(isti) Mil. 829, **prompsit** (ex spatio) Mil. 841, **promptas** Pseud. 628, **in promptu** Pseud. 628.

propemodum Pseud. 276.

propitius etc. Mil. 700. Pers. 583. Poen. I 2, 121 (335). II, 6 (454). V 3, 15 (1334), **propitiem** Poen. I 2, 120 (333).

propterue Truc. II 2, 1 (256).

prosicarier Poen. II 2, 21 (456), conf. **enecare.**

prosiliunt Stich. 466, **prosilui** Trin. 216.

prorsum Pers. 677 — **prosus** Pseud. 955.

protinam Cas. V 3, 16. Pers. 680, **protin** — Pseud. 587.

